

* I * H * V * S *



~~G. # 13.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-23.

SIGNAT. clvcccxiii.

Einzelner versetzt 1941.

Stückzahl erled.



5-254

Thema Theologicum,

ECCLÉSIA

POTEST ERRARE:

ARGUMENTIS SOLIDIS adstructum, & sub auspiciis

Sacrofanctæ Trinitatis ad disputationem publicam propositum,

à

BALTHASARE MEISNERO,
SS. Theol. Doct. & Prof. publ.

Respondente

M. HENRICO INNICHENHÖFERO,
Hertzbergâ Sax. SS. Theol. Stud.

Habebitur disputatio 5. Novemb. in Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,

Typis exscribebat CHRISTIANUS THAM, Acad. Typogr.

ANNO MDCXXIV.

17



Thema Theologicum

ECCLIA

God Ecclesia potest errare

ARGUMENTIS SOLI

et aliorum & sub auspiciis

Stoicorum Tinitus ad disputacionem publi-

cani propositum

BALETHASARE MESSNERO

St. Theol. Doc. & Prof. publ.

MANNHICHO HINCHENHÖFFERO

Holzmühlstr. 22. Theol. Stud.

Manuscriptum distinctio 2. Notandum in distinctio

(Circular stamp)

VITTEBERG

Typ. G. J. Neumann, Neudamm, Prop.

ANNO MDCXXIV





DEMONSTRATIO,
Quòd Ecclesia possit er-
rare.

THESIS I.

S



obilis & gravissima inter nos atq;
Pontificios controversia est, Num Ecclesia possit er-
rare? Negativam illi assumunt, eamq; pro com-
muni quodam asylo & receptaculo habent, ad
quod in cunctis disputationibus confugiunt. :
hæc Pandoræ quædam pixis est, quâ omnes er-
rores suos palliant, teguntq; , clamantes, *se non errare, quia sentiant
cum Ecclesia, quæ non possit errare.* Hinc Eccius disputaturus cum Lu-
thero Lipsiæ, initium fecit à loco de Ecclesia, ejusq; autoritate, & ab
erroribus quibusvis immunitate, quia censuit, si hoc obtineret princi-
pium, se victoriam in specialibus articulis eò facilius reportatu-
rum esse. Ut autem tota hæc quæstio tractetur accuratius, 1. *Sta- oinovomice
tum controversiæ* exponemus. 2. *Sententiam orthodoxam* certis con- *future di-
firmabimus* argumentis. & 3. *ab adversariorum objectionibus* vindi- *spurationis.
catam* dabimus.

II.

MEMBRUM PRIMUM,
De statu Controversiæ.

Sub una hac thesi, *Ecclesia non potest errare*, multa involvunt Pontificii
Pontificii, quæ necessariò evolvi debent. Nam 1. *absolute & illi- absolute
mutate affirmant, Ecclesiam non errare*; ubi nec distinguunt inter *affirmant,
Ecclesiam universalem & particularem*, nec inter *errores fundamentales Ecclesiam
& minus principales*, neq; ita limitant, quòd Ecclesia non erret, nec *non errare.*

A 2

erra-



errare possit, quamdiu Spiritus Sancti, in Scriptura loquentis vo-
 cem sequatur. Sic enim scribit Costerus in Enchir. c. 2. p. 71. Primum
 privilegium est, in Ecclesia sola veram Dei esse notitiam, divinarumq; re-
 rum nullo permistam errore intelligentiam, eamq; ita constantem, Christi
 Spiritu directore, in vera religione persistere, ut error in fide apud illam lo-
 cum habere nequeat. Stapletonus in Relect. quaest. 3. art. 2. p. 41. Erro-
 rem nullum, vel minimum pertinaciter defensum, tolerat vel admittit Ec-
 clesia. Gregorius de Valentia, l. 6. Analyf. c. 4. p. 40. Illa quoq; pra-
 clara est Ecclesiae prerogativa, quod sic a Spiritu Sancto sibi assistente veri-
 tatem omnem fidei docetur, ut aberrare ab ea minimè possit. Adde illius
 explicationem statim sequentem: Notet hoc loco lector, non ipsam fi-
 dei veritatem per se a nobis nominari Ecclesiae prerogativam, & quasi pro-
 prietatem: haec enim essentia ipsa potius seu de essentia Ecclesiae est, qua-
 tenus Ecclesia videlicet congregatio verè fidelium esse describitur. Non ergo
 ipsam per se doctrinam fidei veritatem, sed assistentiam illam Spiritus Sancti,
 qua fit, ut a veritate Ecclesia aberrare non possit, in prerogativis & quasi
 proprietatibus Ecclesiae numeramus. Adprobat idem pag. 41. senten-
 tiam Cani, qui lib. 4. LL. Theol. c. 4. scribit; Ecclesiam totam non
 posse sibi persuadere sententiam aliquam erroneam, etiam in materia, quae
 non pertineat ad fidem. Nam hoc quidem pati, alienum esse putant
 ab illo Spiritu veritatis, quo semper Ecclesia regitur. Bellarminus,
 l. 3. de Eccl. c. 14. col. 187. A. Nostre sententia est, Ecclesiam absolute non
 posse errare, nec in rebus, absolute necessariis, nec in aliis, quae credenda vel
 facienda nobis proponit, sive habeantur expresse in Scripturis, sive non. Hoc
 postmodum ita declarat: Ecclesia non potest errare, id est, quod tenent
 omnes fideles, tanquam de fide, necessario est verum, & de fide; ubi qui-
 dem videtur loqui de ipsa fidelium universalitate, & Ecclesia ca-
 tholica in genere; non tamen aliam, quam in specie Romanam
 Ecclesiam, nec alios fideles, quam solos Papistas intelligit.

III.

Nam 2. quoties Pontificii verba faciunt de prerogativis
 Ecclesiae, ejusq; immunitate ab omni errore, toties praesupponunt,
 per fortem quandam, prorsus tamen inanem *phantasia* vel ima-
 ginationem, quod duntaxat coetus Romanus, Papa additus, vero in terris
 sit Ecclesia. Hinc sibi propriam faciunt hanc thesin; Ecclesia Roma-
 na non

Per Eccle-
 siam vero
 intelligunt
 coetum suo-
 rum homi-
 num.

286
na non potest errare, de qua Becanus operose disputat, quaest. 2. de Ecclesia, qui simul annotat, Romanam Ecclesiam dupliciter sumi; tum pro illo solo particulari coetu, qui olim Romae fuit & nunc est; tum pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi, adhærent Pontifici Romano. Et hunc coetum à nobiliori sui parte, Romanum dici asserit, atq; Ecclesiam Romanam utroq; modo sumtam, ab omni errore immunem esse pronunciat, conclus. 1. & 2. Quò etiam spectat illud Bellar. l. 4. de P. R. c. 4. col. 970. B. Neq; solum Pontifex Romanus non potest errare in fide; sed neq; Romana particularis Ecclesia. Et Pistorius scribit in Hodoget. c. 2. de Ecclesia: Romana Ecclesia nunquam ne minimum quidem errare potuit, alias totam Ecclesiam errare oportuit. Dissentit tamen Reihingus (quum adhuc Jesuwita esset,) in man. art. 2. §. 10. p. 223. qui putat, non esse asserendum ut certum, quod Romana Ecclesia particularis errare nequeat.

IV.

Porro hoc ipsum 3. restringunt magis ad Pastores & ministros Ecclesiae, de quibus illis affirmant, quòd omnes simul in fidei rebus errare nequeant. Ita enim Bellarminus scribit, l. 3. de Ecclesia, c. 14. col. 187. D. Id, quod docent omnes Episcopi, tanquam ad fidem pertinens, necessario est verum, & de fide. Hinc Pastores nominare solent Ecclesiam representativam, Biel lect. 22. in Can. missae: Bellar. l. 2. de Concil. c. 2. quoniam illi totum Ecclesiae corpus representent, quum non aliam audientes profiteantur doctrinam, præter eam, quam audiunt & discunt à Pastoribus. Unde Bellar. l. 2. de Concil. c. 2. col. 69. & 70. D. scribit, Tota auctoritas Ecclesiae formaliter non est, nisi in praelatis, sicut visus totius corporis formaliter est tantum in capite. E. idem est, Ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei, & Episcopos non posse errare. Ex quibus patet, privilegium non errandi, Pastoribus, juxta Papistas, tribui formaliter & primario; credentium multitudi consequenter & secundo, nempe quatenus ea sequitur pastorum sententiam. Greg. de Valent. l. 6. Anal. c. 4. p. 41. Idcirco fideles omnes errare non possunt, quia Pastores omnes & doctores omnino errare nequeunt.

V.

Quia verò ulterius distinguunt inter Presbyteros & Episcopos, Et ex eorum quibus numero Episcopos.

quibus solis tribuunt jus suffragiorum in Conciliis, hinc oritur
thesis 4 *Quod Episcopi in universalis Concilio congregati errare neque-
ant*, de quo Bellarminus disserit l. 2. de Ecclesia, c. 14. col. 189. c. 17. col.
199. cum primis autem l. 2. de Concil. c. 2. seqq. Hanc ipsam tamen
positionem rursus limitant & restringunt, nempe si accedat *authori-
tas & confirmatio Pontificis*. Sic enim scribit Bellarminus l. 2. de Con-
ciliis, c. 2. col. 67. C. *Catholici omnes constanter docent, Concilia gene-
ralia, à summo Pontifice confirmata, errare non posse, nec in fide explicanda,
nec in tradendis morum præceptis, toti Ecclesie communibus*. Nisi ergo ac-
cedat Papæ confirmatio, Concilia etiam generalia errare posse,
ultrò largiuntur, sicuti Bellarminus c. 11. l. 2. de Concil. hunc præscri-
psit titulum: *Concilia generalia ante confirmationem summi Pontificis
errare posse, nisi Patres in definiendo sequantur Pontificis instructionem*.
Idem, c. eod. col. 106. D. scribit: *Firmitas Concilii nascitur ex consen-
sione & conjunctione corporis cum capite (Papa Romano.) Et paulò post:
Etsi legati præsumt nomine Pontificis, tamen non sunt revera Pontifices, nec
sciunt, quæ sit mens Pontificis, nec habent illud privilegium non errandi, quod
habet Pontifex.*

VI.

Et inter hos Hinc ergo profluit thesis 5. & primaria, *Quod Papa Roma-
Episcopo- nus in definiendis rebus fidei & morum errare non possit, adeoq; omnis Ec-
rum princi- clesie infallibilitas, & aberrandi immunitas, ultimatè penes unum habeat
pem Papam Romanum Pontificem, quem Scholastici propterea dicunt Ecclesiam
Romanum esse virtualiter. Hoc tradit Bellarminus, l. 4. de R. P. c. 1. col. 958. A. In
disputatione de Verbo Dei jam ostendimus, Judicem controversiarum non
esse Scripturam, nec seculares Principes, nec privatos homines, quamvis pro-
bos & doctos, sed Ecclesiasticos prælatos. In disputatione verò de Conciliis
demonstrandum erit, habere quidem Concilia tam generalia, quàm particu-
laria iudicium de controversiis religionis; sed illud iudicium tum demum esse
firmum & ratum, quum accesserit summi Pontificis confirmatio, promde ul-
timum iudicium summi Pontificis esse. Idem c. 3. Summus Pontifex, in-
quit, col. 962. C. quum totam Ecclesiam docet in his, quæ ad fidem perti-
nent, nullo casu errare potest. Gregorius de Valentia l. 6. Anal. c. 4.
p. 41. Summa hæc est; Si quando oriuntur controversiæ de fide, Ecclesiam
non posse in his definiendis à veritate aberrare. Hæc autem infallibilis Eccle-
siae aucto-*

237
sua auctoritas, ad definiendum non est in singulis fidelibus, quippe qui sine controversia possunt errare singuli. Neq; est etiam in omnibus omnino fidelibus. Frustra enim data illis esset, quum fieri vix possit, in fidei causis, ut ab omnibus illis sigillatim sententia dicatur: Sed residet illa summa Ecclesiae auctoritas in Christi vicario, summo Pontifice, sive unà cum Episcoporum Concilio, sive absq; Concilio res fidei definire velit.

VII.

Atq; hic est scopus principalis in tota hac quaestione: Ad istud punctum collimant omnes Pontificii, ut Papae infallibilitatem asserant. Illi quidem nominant Ecclesiam, sed hoc sub nomine nihil aliud, quam Papam absurdè intelligunt. Studiosè igitur notanda est tergiversatio & circumgyratio Papistica. In genere dicunt, Ecclesia non potest errare; sed in specie innuunt suam Romanam. Per hanc non omnes fideles, sed tantum Pastores; neq; hos omnes, sed duntaxat Episcopos in Concilio congregatos intelligunt: nec tamen istis infallibilitatem tribuunt per se, sed quatenus sequuntur Pontificis instructionem, ut proinde apud illos Ecclesiam non posse errare, idem sit, quod Pontificem non posse errare. Nam concedunt, fideles, presbyteros, Episcopos ratione sui errare omnino posse: Solum verò Papam ab erroribus esse immunem, cujus vocem si audiat Ecclesia, tum ipsam quoq; in nullos errores praecipitem ferri posse.

IX.

Ad quae omnia confirmanda sufficit vel unicus Gregorii de Valentia locus, qui l. 3. Comment. disp. r. q. 1. p. 1. §. 6. col. 29. A. B. scribit: Ponimus, Ecclesiam esse caput omnium fidelium. Hos non omnes auctoritate esse pares, sed esse in Ecclesia peculiarem potestatem sive auctoritatem divinitus institutam, quae fideles tum doctrinam, tum praeceptis informantur. Hanc auctoritatem plene in Romano Pontifice, Christi vicario, & Sancti Petri successore residere, qui scilicet de fidei & morum controversiis, ad universalem Ecclesiam pertinentibus, vel per se, vel unà cum generali Concilio sufficienter constituat. Et deniq; ejus auctoritatis usum adeò Spiritui Sancto curae esse, ut in iis, quae ad fidem & mores fidelium constituendos pertinent, nullus error contingat. Jam igitur, quum dicimus, Propositionem Ecclesiae, esse conditionem necessariam ad assensum fidei, nomine Ecclesiae intelligimus ejus caput, id est, Romanum Pontificem per se, vel unà cum
Con-

Concilio, ex prædicta auctoritate propositiones fidei fidelibus declaravit.

IX.

Nos autem contrarium statuimus, Nos igitur quod ultimum est in ἀναλύσει Papistica, id primum destruimus, quo pacto ruet facile tota structura reliqua, secundum versiculum:

Subrue fulguram, patitur structura ruinam.

Quæ sententia paucis explicatur. Dicimus proinde, & asserimus (1.) Quod per Ecclesiæ nomen non tantum absurdè intelligatur Papa, sed etiam hic ipse errare possit, sæpius erraverit, & etiamnum erret gravissimè. (2.) Quod plerique, vel etiam omnes ordinarii Episcopi, sive in Concilio congregati sint, sive seorsum cōsiderentur, errare possint, & nonnunquam erraverint. (3.) Quod nulla Ecclesia particularis ab errando sit immunis. (4.) Quod etiam Ecclesia Romana, sive tantum cœtus in urbe Roma congregatus, sive cœtus omnium Papistarum intelligatur, errare queat, erraverit, & erret multifariam. (5.) Ecclesiam verò universalem & Catholicam quod attinet, in his terris militantem, (de triumphante siquidem non est dubium, quod illa in cœlis ab omni errore pura sit & immunis) distinctiones quædam observandæ veniunt.

X.

Nam (1.) Dantur errores duplices: Quidam sunt fundamentales, quibus ipsum fidei fundamentum, & consequenter salutis æternæ consecutio tollitur: quidam sunt minus principales, non tam de fide, quam circa fidem, quibus nec ipsum fundamentum destruitur, nec salutis adeptio anceps redditur. Ut enim morbi in humano corpore quidam sanabiles sunt; quidam insanabiles: sic errores alii sunt lethales & mortiferi, qui evertunt ipsum fundamentum; alii sunt leviores, nec lethiferi, quibus positus, non statim tollitur fidei fundamentum. (2.) Ecclesia consideratur vel limitatè, quatenus sequitur ductum Spiritus Sancti in Scriptura loquentis; vel illimitatè, & sine ista restrictione. (3.) Ecclesia considerari potest tum ratione sui, quid fieri possit; tum ratione divinarum promissionum, quid fieri soleat. Et (4.) Ecclesiam æstimare possum vel quoad publicam externamq; professionem doctrinæ, vel quoad singulos fideles, internamq; ipsorum fidem & sententiam.

XI. Hisce

Hiscæ præsuppositis, dicimus (1.) *Quod Ecclesia universalis* ratione sui, quatenus est cœtus hominum infirmitati subjectorum, tota quidem errare possit, non tantùm in minus principalibus, sed etiam in fundamentalibus articulis : *eadem tamen in fundamentalibus non erret, nec errare queat tota*, ratione promissionum divinarum, & assistentiæ Spiritus Sancti, qui semper aliquam in terris sibi conservat Ecclesiam, fundamentum fidei retinentem illibatum. (2.) *Quod Ecclesia universalis, quatenus sequitur vocem Spiritus Sancti, nullatenus errare possit, nec in secundariis, nec in primariis quæstionibus.* Nam si sub ista limitatione & reduplicatione intelligas, contradictio esset, asserere, Veram Ecclesiam, ut est vera, & Spiritus Sancti discipula, posse errare. Absurdam tamen hanc opinionem videtur nobis tribuere *Huntlaus*, To. 1. controv. 2. c. 7. num. 1. ita scribens : *Nihil absurdius dici potest, quàm veram Ecclesiam Christi* (quod procul dubio reduplicativè intelligit) *in fide errare ; Et tamen nihil est, quod pertinacius defendant sectarij hujus temporis ferè omnes.* Repetit hoc ipsum, n. 11. At verò nos dicimus, Ecclesiam veram Catholicam, ut vera est, non errare in fide, multò minus in ipso fidei fundamēto, ideòquæ si hæc nobis opinio tribuatur, fit istud per manifestissimam injuriam, & falsi crimen notorium. (3.) *Quod Ecclesia universalis, absolutè, & sine limitatione sumpta, non quidem in fundamentalibus ; in secundariis tamen & minimè principalibus articulis errare possit, & nonnunquam erraverit ; qui errores porrò considerari possunt, vel quoad publicam & externam professionem, vel quoad privatam internamque in cordibus singulorum fidelium susceptionem.* *Potest Ecclesia errare tota*, erravit quoque nonnunquam in minus principalibus, quoad publicam erroneæ doctrinæ promulgationem & professionem, quæ in templis, publicisque conventibus proposita & audita est ; an verò universi & singuli fideles, nullo penitus excepto, errores istos secundarios, publicè in templis propositos, etiam in corde suo adprobarent, vel potius contrarium censuerint, hoc in dubio relinquimus, quum *καθ' ἡμῶν* non simus, & nonnunquam corda auditorum puriora sint, quàm labia Pastorum, Deusque inter medios errores

B semen

semen sanctum purumque, ut Eliæ tempore factum, sibi facile
conservare possit & soleat: quam ipsam sententiam paulò fusius
nunc explicabimus & defendemus.

XII.

MEMBRUM SECUNDUM,

Continens veræ sententiæ, de errandi possi-
bilitate, explicationem & de-
fensionem.

Ut omnia proponantur distinctiùs, placet certas formare
theses vel assertiones; & easdem distinctis munire argumentis, si-
mulque ab objectionibus contrariis vindicare. Sit ergo

XIII.

ASSERTIO I.

Velut absurdum est, sub titulo Ecclesiæ non erran-
tis, intelligere Papam Romanum: Sic penitus falsum
est, quòd ille in definiendis fidei rebus non possit er-
rare.

Hujus thesæ duo sunt membra, quorum *primo* Pontificios
accusamus absurditatis; *secundo* falsitatis. De utroq; seorsum placet
agere.

XIV.

*Titulus
Ecclesiæ
absurdè
tribuitur
Papæ Ro-
mano.*

I. Absurdi sunt Papicolæ, quòd titulum Eccle-
siæ ad unum transferunt Romanum Pontificem.
Nam Ecclesia formaliter, per se, adeòque semper notat integrum
coetum & collectionem quandam fidelium; est καὶ ὅλης vel uni-
versale quiddam, non singulare. Pontifex verò persona una, indivi-
duum & res singularis est. Quî ergo absque absurditate ipsi attri-
bui potest nomen universale vel collectivum, quale est Ecclesia?
Hoc nimirum est ex uno multa, ex singulari universale, ex indivi-
duo integrum aliquem coetum αἰρέτως facere, non secus ac si
consulem quis ipsam vocaret civitatem, & Ducem ipsum exerci-
tum,

289

tum, quod absurdissimè fieri, quis est, qui non intelligit? Consuli quidem & Duci, tanquam capiti, & causæ principi rectè assignari potest expeditio civium & exercitus, sicuti Dux vicisse dicitur suos hostes, quum eos vicit Ducis exercitus: Interim tamen nomen civitatis ipsi Consuli; & nomen exercitus ipsi duci nequaquam solet tribui. Huc referimus disertum Bellarmini testimonium, qui l. 3. de Eccl. c. 17. col. 1202. B. scribit: *Una persona non potest dici Ecclesia, quam Ecclesia sit populus & regnum Dei.* Subsumo: *Pontifex Romanus est una persona.* Concludo contra ipsum: *Ergo Pontifex Romanus non potest dici Ecclesia.* Adde his testimonium Marsili Patavini, ex par. 2. Defensoris, cap. 2. pag. 112. *Rursum ait, secundum aliam significationem dicitur, hoc nomen Ecclesia, & omnium verissime, & propriissime secundum primam impositionem hujus nominis, seu intentionem primorum imponentium, (licet non ita famosè secundum modernum usum) de universitate fidelium credentium & invocantium nomen Christi: & de hujus universitatis partibus omnibus, in quacunque communitate etiam domestica. Et hæc fuit impositio prima hujus dictionis, & consuetus usus ejus apud Apostolos, & in Ecclesia primitiva.*

XV.

Excipit Gregorius de Valentia, T. 3. disp. 1. q. 1. pu. 1. §. 6. col. 29. B. *Quamvis Romanus Pontifex per se, aut cum Concilio non sit tota Ecclesia, ut Ecclesia dicitur congregatio omnium fidelium; nihilominus Ecclesia totum quoddam seu corpus mysticum est, & toti rectè attribuitur munus propriè pertinens ad aliqua ejus membra, & præsertim ad caput; idcirco rectè quoque propositio pertinens ad Romanum Pontificem per se aut unà cum Concilio de Fide statuentem, dicitur propositio Ecclesie à Doctoribus.* Respondeo: Non negamus, actionem membri rectè tribui toti, quum omnes actus propriè sint suppositorum, sicuti totus homo dicitur videre, quod proprium est oculorum; notari tamen debet (1.) aliud esse, munus partis tribuere toti; & aliud, nomen totius tribuere parti, sicut nomen Ecclesie, quæ totam quid est, Papistæ tribuunt Pontifici, ceu parti. Illud rectè fieri potest, hoc non potest. Rectè quidem affirmo, quòd videat homo, quando videt oculus; non tamen rectè dicitur, quòd per hominis nomen in illa propositione ipse intelligatur oculus. (2.) Canon de officis partium, tribuendus toti, non est intelligendus de istis actibus vel officiis, per

B 2

quæ

quæ partes à toto distinguuntur. Sic dicere nequeo, quòd totus homo influat in membra, licet caput influat; vel quòd exercitus totus imperet, & totus obtemperet, quia imperare est munus proprium Ducis, & obtemperare, est munus proprium militum. Ita malè dicitur, quòd tota Ecclesia visiter, quia visitare est munus proprium Pastorum. Pari modo, quia propositiones fidei præscribere Ecclesiæ, est munus Pontificis, secundum ipsos, tanquam capitis, & quidem tale munus, quo ille distinguitur à corpore, propterea propositio Pontificis, Ecclesiæ præscripta, malè dicitur propositio ipsius Ecclesiæ, quum aliud sit ille, qui præscribit; & aliud sit objectum, cui aliquid præscribitur.

XVI.

Erra. 70.
test Papa.

II. Falsum est, quòd Pontifex Romanus in rebus fidei errare nequeat. Demonstratio prolixa, & accurata hujus thematis ventilatio pertinet ad locum de Papa Romano: Hic placet unum & alterum duntaxat argumentum proponere.

XVII.

Ob defe-
ctum pecu-
liaris pri-
vilegii,

Urgemus igitur, I. Defectum peculiaris privilegii de non errando. Romanus Pontifex in Scriptura est non Ens: Non entis autem uti nullæ sunt affectiones, sic nulla etiam privilegia. Evolvatur codex utriusque Testamenti, & ne apex quidem monstrari poterit de Papa Romano, multò minùs de peculiari hoc privilegio, quòd ipse propter immediatam & perpetuam Spiritus Sancti assistentiam errare nequeat. Ne *quod* quidem de hoc extat ullibi, & quæ proferuntur promissiones, eæ *vel singulares* sunt, & attinent solos Apostolos; *vel communes* sunt, & attinent quosvis fideles, unde tamen minimè colligendum est, quòd isti absolutè nequeant errare.

XVIII.

Ob exem-
pla vete-
rum Pon-
tificum,

2. Exempla Veterum Pontificum. Errârunt hi sapius, & quidem gravissimè, sicut Aaron per *μορολατρεία*, Ex. 32. v. 2. seqq. Urias per erectionem novi altaris ad formam aræ Damascenæ Ethnicæ, 2. Reg. 16. v. 11. Passur per conjectionem Jeremiæ in vincula, Jer. 20. v. 1. 2. 6. Jason per pravas sanctiones, 2.

Mat. 4.

Macc. 4. Pontifices congregati contra Christum, Job. 9. v. 18. 19. contra Apostolos, Act. 4. contra Stephanum, Act. 7. contra Paulum, Act. 23. &c. Si ergo veteres pontifices, qui in legitimo, & divinitus instituto versabantur officio, multasque habebant promissiones; nihilominus à DEI verbo recesserunt, atque hinc errarunt sæpius; sequitur omninò, quòd Romani etiam Pontifices similiter, vel etiam multò magis errare possint, quippe quorum munus pastorale non est in sacris fundatum, sed vi & dolo acquisitum.

XIX.

3. Exemplum Petri errantis. Si Petrus ipse erravit, Ob exem- multò magis Pontifex, qui se Petri successorem jactitat, errare pot- plum Petri erit. Sed verum prius : Ergo & posterius. Minor probatur; errantis, Quia Petrus erravit partim in doctrina, quoad articulum de abrogatione legis ceremonialis, quam adhuc vigere falsò putavit, ideoque cibos nonnullos adhuc immundos esse credidit, Act. 10. v. 14. partim in conversatione, quia se subtraxit à fidelibus Ethnicis, ex metu Judæorum supervenientium, unde Paulus ipsi restitit in faciem, eò quòd recto pede non incederet, Gal. 2. v. 14.

XX.

4. Impietatem Papparum. Vita ipsorum plerumque Ob impie- plurimis flagitiis contaminata est, fatentibus adversariis, Platinâ tatem Pa- eum primis, in l. de vitis Pontificum. Non autem est credibile, parum, Spiritum Sanctum continenter talibus impuris & sceleratis hominibus assistere, eosque in omnem veritatem ducere, quum iis tantum sit promissus, qui verè in Christum credunt, piè vivunt, & ita Christi sunt discipuli quoad puritatem doctrine, vitæque pietatem, Job. 14. v. 15. 16. malignam verò animam non intret, nec habitet in corpore peccatis subdito, Sap. 1. v. 4. 5. mundusque illum accipere nequeat, Job. 14. v. 17.

XXI.

5. Exempla Pontificum errantium. Constat ex hi- Ob exem- storiis Ecclesiasticis, & adversariorum confessionibus, quosdam pla Ponti- Pontifices non tantum graviter errasse in fide, sed fidem insuper ficum er- omnem interdum penitus abnegasse, & sese invicem aliquando rantium. palam



palàm damnâsse. *Inventum est, multos Pontifices apostatâsse à fide,* scribit *Lyranus*, in c. 26. Matthæi. Nam Papa *Zepherinus* Montani hæresin adprobavit, teste *Tertulliano* contra Marcionem. *Marcellinus* metu mortis, idolis sacrificavit, teste *Eusebio*. *Liberius & Felix II* fuerunt Ariani, teste *Hieronymo* in Thren. & in Catal. Script. Ecclesiast. *Vigilius* fuit Eutylianus. *Honorius I* Monotheleta, fatente *Canol. 6. LL. CC.* *Stephanus VI.* omnia acta *Formosi* antecessoris sui damnavit: *Stephani VI.* acta damnavit *Johannes IX.* *Johannes IX.* & *Formosi* acta iterum damnavit *Sergius III.* teste *Platina*, qui omnes ab errore, ob manifestam contrarietatem, non potuerunt esse immunes. *Sylvester II.* fuit Necromanticus, & tandem à Diabolo turpiter occisus, teste *Martino Polono*. *Gregorius VII.* planè atheus fuit, teste *Cardinale Bennone*. *Cælestinus III.* palàm appellatur hæreticus ab *Alphonso*, l. 1. de hæret. c. 4. *Johannes XX.* à Parisiensibus ob hæresin damnatus est, eò quòd negaret animarum immortalitatem. *Johannes XXIII.* dicitur futuram vitam negâsse in Concilio Constantiensi, Sess. II. Vide plura apud *Gesnerum* l. 1. de Conciliis. *D. Eckhartum* in Papa Pharif. p. 192. 193. *Szegedinum* in *Speculo Pontificum*, & *Whitakerum*, quæst. 6. de R. P. c. 3.

X XII.

Ob circum- 6. Circulum, quem in hac quæstione committunt Pontificii. Nam quæritur, *Cur Ecclesia non erret?* Respondent illi: *Quia Episcopi non errant.* Ulterius quæritur: *Cur Episcopi non errent?* Et respondent, *Quia Pontifex Romanus, à cujus nutu dependet, non errat.* Jam verò *Bellarminus* l. 3. de Ecclesia, c. 10. contrario procedit modo, & scribit col. 178. A. *non posse ab Episcopis Ecclesiam Pontificii. decipi, quam Ecclesia non possit errare.* Vides ergo circulum: *Ecclesia non potest errare, quia Episcopi, & cum primis Pontifex non possunt errare: Rursum: Episcopi non possunt errare, quia Ecclesia non potest errare.* Ita igitur Ecclesiæ infallibilitatem per Episcopos, & Episcoporum infallibilitatem per Ecclesiam, adeò que idem per idem demonstrant, quod est *ἀδολογείν* & turpiter nugari.

X XIII.

Ob dissensionem. 7. Dissensionem ipsorum Pontificiorum. *Quidam*

291
dam enim dicunt, Pontificem etiam ut Pontificem, errare posse : *tionem ip-*
quidam asserunt, illud nullo modo fieri posse : *quidam* statuunt, *forum*
Pontificem, sive hæreticus esse possit, sive non, haut ullo tamen *Pontificio-*
modo definire posse aliquid hæreticum, à tota Ecclesia creden- *rum.*
dum, de quo videatur *Bellarminus*, l. 4. de R. P. c. 2. & *Whitakerus*
quæst. 6. de R. P. c. 3. qui etiam ad omnes Papistarum objectiones
respondit c. 2. ideòque plura de hac quæstione desiderantem eò
remissum volumus.

XXIV.

ASSERTIO II.

Velut incongruum est, Doctores absolutè nomi-
nare Ecclesiam : sic falsum est, illos omnes in rebus fi-
dei errare non posse.

XXV.

I. Incongruum esse, Doctoribus absolutè attri- *Primò, Do-*
buere titulum Ecclesiæ, probatur inde, quoniam ad Eccle- *ctores ab-*
siam auditores quoque pertinent, qui essentialem ejus definitio- *surdè di-*
nem ingrediuntur. Ut enim civitas non constat ex Medico & Me- *cuntur Ec-*
dico; sed ex Medico & Ægroto : Sic Ecclesia non constat ex *clesia.*
Doctore & Doctore, sed ex doctoribus & auditoribus simul. Quod
attinet locum Matth. 18. v. 16. *Dic Ecclesiæ* : intelligitur ibi vel totus
fidelium cœtus particularis; vel Collegium totum Doctorum &
Seniorum, negotiis Ecclesiasticis, nomine totius Ecclesiæ expediendis, præfectorum, quod Ecclesiam repræsentare, lubenter concedimus. Ita non inficiamur, Pastores, quando mittuntur ab Ecclesia quadam, repræsentare illam, sicuti legatus repræsentat personam Principis, à quo mittitur : Interim tamen non est absolutè dicendum, quòd Pastores ratione sui sint ipsa Ecclesia, quum *alind* sit, repræsentare rem, & *alind* sit, esse rem ipsam.

XXVI.

II. Falsum est, quòd Doctores ordinarii omnes
errare nequeant, id quod solidè probatur.

*Et possunt
ordinarii*

*Doctores
omnes er-*

1. *Ab* rare, quod
probatur

Ab huma-
na infir-
mitate,

1. Ab humana infirmitate. Doctores etiam sunt ho-
minesideoque nihil humani ab iis alienum est. Dicitur verò Pf.
ii6. v. ii. Rom. 3. v. 3. *Omnis homo mendax*, id est, à veritate sapius
deflectit, & per naturam semper deflectere potest, unde vocamur
ἀγνοῦντες καὶ πλανώμενοι, ignorantēs & errantes, Hebr. 5. v. 2. Ergo
doctores etiam ordinarii omnes falli & errare possunt, nisi eos
per speciale quoddam privilegium à generali regula exemptos esse
demonstretur.

XXVII.

A scientia
& renova-
tionis im-
perfectio-
ne,

2. A scientiæ & renovationis imperfectione.
Quorum scientia & renovatio imperfecta est, ii possunt errare.
Sed Doctorum omnium scientia & renovatio imperfecta est. Do-
ctores igitur omnes possunt errare. *Major* probatur, quoniam illa
imperfectio est causa, ut multa ignoremus, & in errores facile
proruamus. Ut enim homines peccare queunt, & sapius pec-
cant, ob imperfectionem sanctitatis: Ita errare etiam possunt, ob
imperfectioem scientiæ. Nam in quem peccatum cadit, in eun-
dem simul cadere potest error, quia pari passu ambulant ista, imò
gravius quid esse videtur peccare, quàm errare. *Minor* probatur ex
precatione Davidis Pf. 25. v. 7. *Ignorantiarum mearum ne memine-
ris*; & ex aphorismo Pauli, I. Cor. 13. v. 9. 10. *Ex parte intelligimus, & ex
parte prophetamus. Quum autem venerit quod perfectum est, evacuabi-
tur, quod ex parte est.* Quòd si ergo tanti Prophetæ & Apostoli sci-
entia imperfecta fuit; quantò magis nostra erit imperfecta? Quòd
autem isti actu ipso non errarunt in rebus fidei, hoc contigit ex
singulari privilegio divino, quale aliis Doctoribus non est con-
cessum.

XXIIX.

Ab exem-
plis erro-
rum, &
querelis
Propheta-
rum.

3. Ab exemplis errorum, & querelis Prophetarum.
Si aliquando actu ipso errarunt doctores omnes, sequitur
illos errare posse, Sed prius est verum: Ergo & posterius. *Minorem*
ita probamus:

1. *Tempore Elie* errarunt omnes ordinarii Sacerdotes in Israë-
le, unde putabat ille, se solum, ceu verum DEI cultorem, esse de-
relictum inter filios Israël, 1. Reg. 9. v. 12

2. Idem

2. Idem contigit tempore *Esaie*, qui *c. 56. v. 10.* scribit: *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi.* *Verf. 11.* *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Excipit *Belarminus* l. 3. de *Ecclesia*, c. 17. col. 199. *D.* *verba esse figurata, & dirigi quidem ad omnes, non tamen reverà intelligi debere de omnibus, sed de multis.* Respondeo. Exceptio hæc est contra ipsam literam textus, quæ de omnibus ordinariis sacerdotibus expressè loquitur, & illos universos cæcitatæ ac ignorantia arguit. Deinde, si maximè de multis & maxima parte exponeretur, nihilominus causâ caderent Pontificii, quippe qui & majorem pastorum partem errare non posse contendunt, uti videre est ex *Gregorio de Valentia*, l. 6. *Anal.* c. 4 p. 41.

3. Tempore *Micheæ* omnes Prophetæ, qui erant 400. excepto *Michea*, erraverunt, & falsa pronunciârunt, *1. Reg. 22. v. 6. seqq.* *Belarminus* excipit, l. 3. de *Ecclesia*, c. 17. col. 199. *C. D.* *fuisse illos Pseudoprophetas, quod non ignoraverit Achabus; præter eos autem fuisse alios veros Prophetas, & Sacerdotes orthodoxos in Jerusalem.* Resp. Concedimus, illos fuisse falsos Prophetas, interim tamen constituti erant in ordinario & publico ministerio, & habebantur pro veris Doctoribus, quod evincit, *ver. 5. 6. 24.* & cum primis factum *Josaphati*, qui non secutus fuisset ipsorum consilium de expeditione bellica, nisi pro veris eos habuisset Prophetis. Ex quo inferimus, quòd omnes, ad minimum plerique ordinarii doctores errare possint, licèt unus altervé doctor orthodoxus remaneat, vel quidam extra ordinem excitentur.

4. Sic aliis temporibus ordinarii Sacerdotes errârunt gravissimè, quod docent sequentes querelæ, *Jer. 2. v. 8. c. 5. v. 30. c. 6. v. 13. c. 8. v. 8. 10. c. 10. v. 21. c. 23. v. 11. 13. c. 50. v. 6. Ezech. 7. v. 26. c. 22. v. 26. Osee 9. v. 7. Mich. 3. v. 6. Zeph. 3. v. 4. Mal. 2. v. 8.*

5. *Pharisæi* omnes, qui erant ultimo synagogæ tempore ordinarii doctores, multifariam errârunt, unde nominantur duces cæci, *Matth. 15. v. 14.* *stulti & cæci, c. 24. v. 17.* ipsorumque doctrina nuncupatur fermentum, à quo sibi cavere debuerunt *Apostoli*, *Matth. 16. v. 11. 12.* Sic in specie omnes consentienter statuebant, *Christi præcursorem* forè ipsum *Eliam Thesbiten*, in quo errore videtur etiam fuisse *Siriacides c. 48. v. 10.* & *Apostoli, Matth. 17. v. 3.* quod refutatur *Matth. 11. & 17.*

6. *Tempore passionis* erravit summus Pontifex cum omnibus reliquis sacerdotibus, quia Christum innocentem pronuntiârunt reum esse mortis, *Marc. 14. v. 1.* nec Apostoli tum erant ab errore immunes, ob præconceptam opinionem de regno Messiaæ terreno, unde quidam Pontificii dicunt, in passione Domini remansisse fidem, & reservatam esse Ecclesiam, tantum in *virgine Maria*, idque significari credunt *unâ illâ candelâ*, quæ sola accensa conservatur in triduo ante pascha in officio nocturno, cujus sententiæ est *Alexander Alensis*, 3. par. quæst. ult. art. 2. & *Johannes de Turrecremata*, l. 1. de Ecclesia, c. 30. & l. 3. c. 6.

XXIX.

Bellarminus verò l. 3. de Ecclesia, c. 17. excipit (1.) *Sacerdotes & Pontifices non habuisse privilegium non errandi, nisi usq; ad tempora Christi: quo docente, parum obsuisse illorum errorem*, col. 200. A. Resp. Nul- lum prorsus sacerdotes habuisse privilegium non errandi, exem- pla errorum modò allegata satis ostendunt. Et si aliquod habuis- sent, utique ad mortem Christi usque illud durâisset, in qua juxta *Lombardum* l. 3. dist. 3. omnia legalia demùm sunt terminata. *Dein- de*, notetur confessio Bellarmini, sacerdotes illos non fuisse am- plius veram Ecclesiam, quod tamen affirmat *Hosius* l. 2. contra pro- leg. Brentii, & *Stapletonus* l. 2. de princ. doctr. c. 11.

(2.) *Apostolorum errorem nihil obsuisse universali Ecclesie, si ma- xime omnes errâssent tempore passionis Christi*, col. 200. B. Resp. Neque nos exemplo illo probare volumus totam Ecclesiam defecisse; sed hoc tantum, quod omnes ordinarii doctores tunc erraverint.

(3.) *Apostolos in passione Domini non amisisse fidem, præsertim Pe- trum, pro quo sit rogatum*, Luc. 22. v. 32. Resp. Absurdum est, Pe- trum, quum abnegaret Christum, in abnegatione ipsa retinuisse fidem, sicut etiam probari nequit, in Apostolis fugientibus, fidem mansisse illibatam. Sed quicquid horum sit, non quæritur, Num A- postoli fidem amiserint? sed *num erraverint fingendo, regnum Messiaæ terrenum esse?* Nos affirmamus, neque diversum obtinere potest Bellarminus.

(4.) *Improbat sententiam Alensis & Johan. de Turrecremata, quòd fides manserit in sola Maria tempore passionis*. col. 201. & 202. Resp. Transi-

293

Transigant ergo secum Cadmæi isti fraterculi : quorum dissensio certum incertæ mentis, malæque causæ est indicium.

XXX.

IV. A testimoniis Veterum. Augustinus lib. 2. contra Atestimonium Crescent. c. 21. *Non debet Ecclesia sese Christo præponere, quum ille semper veraciter iudicet : Ecclesiastici verò iudices, ut homines, plerumq; falluntur.* Gualterus Brutus, qui ante duo secula vixit in Anglia, referente Foxo in martyrologio, pag. 477. *Visibilis, ait, Ecclesie Pastores ac Doctores errare omnes possunt, imò Petrus erravit, ideoq; à Paulo reprehensus fuit : Solæ Scripturæ non errandi privilegium habent.*

XXXI.

Atque hæc præcipua sunt argumenta, quibus ostendimus, omnes ordinarios doctores in rebus fidei errare posse : ubi tamen hanc addimus limitationem, quòd Deus, quando publicum & ordinarium ministerium errat totum, ex paterna providentia & cura singulari erga Ecclesiam, vel conservet quosdam doctores orthodoxos privatim latitantes, sicut Arianismi tempore conservavit Athanasium ; vel etiam extra ordinem excitet, mittatque veros Doctores, ut olim sub Baalismo & Pharisaismo contigit. Sic in Papatu, ante reformationem ; ministerium publicum erat quidem corruptissimum, & erroribus pluribus contaminatum ; Deus tamen conservavit partim aliquos clam latentes ; partim instigavit constanets confessores, clero Papali publicè & in faciem resistentes.

XXXII.

O B J E C T I O N E S.

Bellarminus l. 3. de Ecclesia, c. 14. col. 189. B. C. hæc in contrarium profert argumenta :

- I. *Si omnes Episcopi errarent, tota etiam Ecclesia erraret, quia tenetur populus sequi suos pastores, dicente Domino Luc. 10. v. 16. Qui vos audit, me audit. & Matth. 23. v. 2. Quæcunq; dixerint, facite.*

Resp. (1.) Non dicimus, omnes omninò doctores, nullo excepto, sed omnes ordinarios, & in publico ministerio constitutos, *In contrarium urget*

Bellarminus
auctoritatem
Episcoporum.

nonnunquam errasse, ubi tamen privatim quidam orthodoxi doctores latuerunt plerumque, vel extra ordinem tales divinitus excitati missique sunt (2.) *Negamus consequentiam*, quia si maxime omnes errarent ordinarii pastores, haut tamen sequeretur protinus, errare totam Ecclesiam, quia hæc conservari potest *tum* in doctoribus latentibus; *tum* in aliis Christianis, errores publicos non adprobantibus: sicuti tempore Baalismi & Pharisaismi, quum omnes errarent ordinarii sacerdotes, non tamen erravit tota Ecclesia; sed Deus semper reliquias electorum, & sua sibi millia verorum fidelium inter medios idololatrias & Apostatas conservavit. Nam puriores quandoque sunt aures & mentes audientium, quam labia docentium. (3.) *Ratio consequentie est nulla*, quia dictum *Luc. 10. v. 16.* loquitur primò de Apostolis, & consequenter de ipsorum successoribus, quos audire, est Christum audire, non simpliciter, sed limitatè, in quantum nomine Christi loquuntur, & ejus Evangelium proponunt. Quando autem ipsi figmenta cerebri sui proferunt & errores; tum neque Christi sunt discipuli, nec Christum audiunt, eos qui audiunt; sed potius diabolus, Patrem mendacium, *Joh. 8. v. 44.* Veræ autem oves Christi non nisi vocem ejus audiunt, & sequuntur eam, alienum verò non audiunt, *Joh. 10. v. 27.* Dictum *Matth. 23. v. 2.* similiter non est absolutè intelligendum, sed *κατὰ ἡ.* Erant faciendæ, quæ dicebant Pharisei, sub hac limitatione, *quatenus* in cathedra Moysis sedebant, & ipsam Domini legem proponebant. Quando autem suas urgebant traditiones, & legem corrumpebant, tum cavendum erat ab ipsorum fermento, juxta commonitionem Domini *Matth. 16. v. 6. 12.* Ita ergo quivis pastores sunt audiendi, & non audiendi; *Illud*, quando verbum & doctrinam Domini; *hoc*, quando verba & doctrinam hominum vel demoniorum proponunt. Agnovit hoc *Gabriel Biel*, qui l. 4. sent. dist. 1. quæst. 4. art. 3. scribit: *Non licet spernere consilium Prælati, quod verum est, nisi contra legem divinam dixerint: quia sic præcipiendo, non sedent super cathedram Moysis: Non enim hæc procedunt de cathedra, id est, doctrina Moysis, sed de cathedra pestilentia.*

XXXIII.

Et Epistolam
Con-

2. *Urget Epistolam Concilii Ephesini ad Nestorium, ubi cogitur Nestorius,*

294
rius, si Ecclesie satisfacere velit, juramento confirmare, se ita cilio Ephe-
sentire, uti sentiunt Orientis & Occidentis Episcopi.

sini ad
Nestorium.

R. Ephesini Episcopi, errorem Nestorii ex Scriptura refu-
târunt, & ex eadem proposuerunt veram doctrinam, ideoq; ad
ipforum sententiam capeffendam, quippe Scripturis consonam,
meritò adigebatur Nestorius, si Ecclesie satisfacere vellet.
Hinc autem minimè sequitur, Episcopos absolutè errare non pos-
se; sicut ex eo, quòd dicimus, Augustanæ Confessioni subscriben-
dum esse, si quis veram fidem tenere velit, non sequitur, quòd no-
stri doctores simpliciter errare nequeant.

XXXIV.

3. Augustinus l. 1. de Baptismo, cap. 18. decretum Concilii gene-
ralis vocat Ecclesie universæ consensum. Et merito. Nam Eccle-
sia non docet, nec decernit quicquam, nisi per suos pastores; sicut
quodlibet corpus per suum caput. Unde etiam 1. Reg. 8. v. 55.
congregatio Sacerdotum & Seniorum, vocatur omnis Ecclesia Is-
rael.

Et dictum
quoddam
Augustini.

Resp. (1.) Hæc ratio non probat, quod probandum erat.
Nam Concilii generalis decretum, rectè quidem nominatur uni-
versæ Ecclesie consensus, quando illud omnes fideles adprobant
& recipiunt, quo sensu Augustini verba intelligenda sunt: non ta-
men hinc inferri potest, doctores omnes haut posse errare, siqui-
dem decretum erroneum queunt facere, quod veri fideles non ad-
probant, ideoq; pro consensu Ecclesie totius venditari non pote-
rit. (2.) Ecclesia quidem nihil ordinariè publicèq; docet, nisi
per suos Pastores publicos, privatim tamen potest docere per Pa-
stres latentes, & ipsa potest credere veritatem, licèt à pu-
blicis doctoribus ea non proponatur, sicuti septem millia tem-
pore Eliæ veram tenebant religionem, quantumvis ea per pa-
stres ordinarios non proferretur publicè. (3.) Congregationem
Sacerdotum & Seniorum populi rectè nominari Ecclesiam, quis
nostrum negavit? Quòd autem talis congregatio, vel in specie,
quòd Pastores ordinarii omnes errare nequeant, id erat demon-
strandum.

ASSERTIO III.

*Errare in-
super pos-
sunt Con-
cilia,*

Doctores in Synodis congregati, vel Concilia, sive particularia, sive generalia sint, uti sæpius in rebus fidei errarunt; ita etiamnum errare possunt.

Concedunt Pontificii, quod doctores errare queant singuli, Bellarminus l. 2. de Conciliis, c. 2. §. ult. sed negant, quod errare possint universi, præsertim in conciliis generalibus congregati. Huic negativæ opponimus 1. *Infirmi- tatem humanam*, per quam ad errores inclinamur, Ps. 116. v. 1. & quam Episcopi non exuunt, quando ad Concilium veniunt. 2. *Decretorum Synodali- um contrarietatem*, quorum aliqua oportet propterea esse erronea. 3. *Errores Conciliorum*, ante Christum, tempore Christi in terris ambulantis, & post ascensionem ejus in cælos celebratorum. 4. *Confessionem ipsius Bellarmini*, l. 4. de R. P. c. 3. col. 968. B. *Constat*, ait, *generalia Concilia sæpè errasse, quando caruerunt summi Pontificis suffragio, uti patet de Ephesino II. Ariminensi, & aliis*; quod ipsum repetit l. 2. de Conciliis, c. 11. cujus hic est titulus, *Concilia generalia, ante confirmationem summi Pontificis errare posse, nisi Patres in definiendo sequantur Pontificis instructionem*. Si ergo Concilia demum consequuntur infallibilitatem per Papæ confirmationem, sequitur omninò, quod ratione sui sint fallibilia, & errare possint, de quibus omnibus vide *Dicam Pontificis scriptam*, th. 76. seqq.

ASSERTIO IV.

Nulla particularis Ecclesia gaudet privilegio non errandi, sed quælibet in errores circa res fidei prolabi potest.

Et quælibet particularis Ecclesia, quod probatur Thesin hanc intellectam volumus de erroribus non tantum secundariis & minus principalibus; sed etiam de fundamentalibus. Ecclesia quidem particularis vera, in quantum vera, & verbo divino innixa, nunquam errat: fieri tamen potest, ut à verbi regula discedat, gravissimos errores excogitet, vel ab aliis excogitatos susci-

295
suscipiat, adeoq; vera esse prorsus desinat, id quod sequentibus
stabilire possumus argumentis.

XXXVII.

I. Ab humana infirmitate. Si quilibet homo potest *Ab huma-*
errare & falli; quævis etiam particularis Ecclesia errare poterit & *na infirmi-*
falli. *Rationem addimus*, quia particularis Ecclesia nihil aliud est, *tate.*
quàm cœtus quorundam hominum congregatorum. Sed verum
est antecedens, secundum dicta *Psal. 116. v. 11. Rom. 3. v. 3. Heb. 5. v. 2.*
Verum igitur erit & consequens.

XXXIIX.

II Ab imperfectione fidelium. Nam uti Doctorum; *Ab imper-*
Ita quorumvis Christianorum scientia & renovatio est imperfe- *fectione fi-*
cta. Omnes cum Paulo fateri coguntur ex *I. Cor. 13. v. 9. Ex parte delium.*
cognoscimus: Unde sequitur, fideles omnes, in particulari cœtu
congregatos, errare posse, quia error est scientiæ contrarius, o-
mnisq; erroris mater est ignorantia. Sapientes enim non errant
in iis, quæ sciunt; sed in iis, quæ ignorant. Ut igitur Ecclesiæ par-
ticulares peccare queunt, & nonnunquam peccant integræ, ob
imperfectionem *sanctitatis*; sic errare queunt, & nonnunquam er-
rant integræ, ob imperfectionem *cognitionis*, quum gravius sit pec-
care, quippe quod vitium est voluntatis, quàm simpliciter errare,
sive intellectu tantum hallucinari. Ex eodem igitur profluunt
fonte *error & peccatum*, nimirum ex naturæ corruptione, & reno-
vationis imperfectione. *Error* est in intellectu, *peccatum* in volun-
tate. Ut igitur voluntas fidelium nondum ita confirmata est in
bono, ut ab omni periculo peccandi sit immunis, *Eccles. 7. v. 21. Jac.*
3. v. 2. I. Joh. 1. v. 8. Sic intellectus fidelium nondum divino lumine
ita plenè collustratus est, ut ab omni periculo errandi sit immunis.
Et si non omne peccatum naturam Ecclesiæ prorsus evertit, multò
minus quilibet error eam evertet: Unde sequitur, in ipsa Ecclesiæ
natura & conditione, nullam reperiri causam, cur errare ipsa non
possit, aut non soleat; reperiri verò cur possit & soleat, nimirum
annatam infirmitatem, & renovationis imperfectionem. Pro-
phetæ quidem & Apostoli habuerunt singulare & extraordinari-
um privilegium non errandi, quia locuti sunt & scripserunt *Περί-*

ΜΕΥΟΙ

μὲν οὖν à Spiritu Sancto, 2. Pet. 7. v. 21. Tale autem deest aliis & docto-
 ribus & fidelibus, quibus facta quidem est promissio Spiritus San-
 cti, sed sub certa conditione, *si constantes adhererint verbo*. Ut igitur
 promissio Spiritus Sancti, quum conditionata sit, non impedit, quò
 minus Ecclesiæ particulares peccare possint, si à tramite verbi re-
 cedant; Ita eadem promissio non impedit, quò minus errare
 possint, si divini verbi regulam seponant. Stapletonus quidem in
 rel. contro. 1. quæst. 3. art. 2. p. 41. excipit; *Erroris & peccati in Eccle-
 sia magnum esse discrimen. Nam perpetuam doctrinæ sanæ stabilitatem
 Ecclesiæ promissam esse, Joh. 16. v. 13. 1. Tim. 3. v. 15. Luc. 10. v. 16. c. 22.
 v. 32. sed perpetuam vitæ integritatem non esse promissam.* Resp. Utrumq;
 exoratum & promissum est, ut fidei puritas & veritatis conserva-
 tio, Joh. 16. v. 13. c. 17. v. 17. Sic vitæ integritas & sanctitatis conservatio,
 Joh. 17. v. 11. 15. 21. Rom. 8. v. 10. 15. Eph. 5. v. 26. 27. Phil. 1. v. 5. c. 2. v. 13. Utræq;
 autem promissiones non sunt absolutæ, sed conditionatæ, & effe-
 ctum suum semper habent, nisi homo reluctetur Spiritui, & disce-
 dat à tramite verbi divini. Sicut ergo promissiones sanctitatis non
 tollunt possibilitatem peccandi; Ita promissiones veritatis non
 tollunt possibilitatem errandi, quia utræque cum hac conditione,
*si Christiani non repugnent, sed Spiritus Sancti ductum in omnibus sequan-
 tur, intelligendæ sunt.*

XXXIX.

*A divinis
 admonitio-
 nibus.*

III. A divinis admonitionibus. Tales leguntur pas-
 sim Matth. 17. v. 15. *Cavete à Pseudoprophetis.* Matth. 16. v. 6. *Cavete à
 fermento Phariseorum & Sadduceorum.* Matth. 24. v. 23. *Si quis dixerit,
 Ecce hic est Christus, nolite credere.* Act. 20. v. 28. *Attendite vobis ipsis
 & universo gregi.* Rom. 11. v. 20. 21. *Ne efferaris animo. Nam si Deus na-
 turalibus ramis non pepercit, vide, ne quæ fiat, ut nec tibi parcat.* 2. Cor. 11.
 v. 3. *Timeo, ne corrumpantur sensus vestri.* Phil. 3. v. 2. *Videte canes, videte
 malos operarios.* 1. Joh. 4. v. 1. *Probate Spiritus, an sint ex Deo, &c.* Hinc
 argumentum tale nectimus: *Quicumq;* monentur, ne errent; & ju-
 bentur cavere falsos doctores, ne seducantur; illi non sunt immu-
 nes ab erroris periculo, quia si haberent absolutum non errandi
 privilegium, frustra instituerentur hujusmodi admonitiones, si-
 quidem, quod errare absolutè nequit, sollicità errorum declinatio-
 ne non

296
ne non indiget. Sed fideles omnes, & nonnunquam integri cœtus particulares, monentur ne errent, & jubentur cavere falsos doctores, ne seducantur. Ergo fideles, & integri quoq; cœtus particulares, non sunt immunes ab omni erroris periculo.

XL.

IV. A divinis prædictionibus, de generali quadam *A divinis*
ὑποστασία. Tales leguntur Matth. 24. v. 11. *Multi Pseudoprophetae sur-*
gent, & seducent multos. Luc. 18. v. 7. *Quum filius hominis venturus est,*
putas eum fidem reperturum in terra? 2. Theff. 2. v. 3. docetur, non in-
stare diem ultimum, nisi prius venerit discessio, & revelatus fuerit homo
peccati. 1. Tim. 4. v. 1. Spiritus manifestè dicit, fore, ut in novissimis tempo-
ribus desciscant quidam à fide. 2. Tim. 3. v. 1. 2. *Novissimis diebus instabunt*
tempora periculosa, erunt homines seipso amantes, &c. c. 4. v. 3. 4. *Erit tem-*
pus, quum sanam doctrinam non sustinebunt, à veritate auditum avertent,
&c. 2. Pet. 2. v. 1. *In vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas*
perditionis, v. 2. Et multi sequentur eorum luxurias. c. 3. v. 3. Venient in no-
vissimis diebus in deceptionem illusores. In epistola Judæ, v. 18. *Novissimo*
tempore venient illusores, v. 19. Hi sunt, qui segregant semetipsos. Apoc. 9.
v. 2. *Ascendit fumus ex puteo, & obscuratus est Sol & aer defumo putei.* Ap.
12. v. 5. *Mulier (Ecclesiæ typus) fugit in solitudinem.* Ap. 13. v. 3. *Admi-*
rata est universa terra bestiam, Antichristi typum, quod repetitur v. 7.
8. 16. 17. Ap. 17. v. 2. *Cum meretrice illa magna (Romano Antichri-*
sto) fornicati sunt Reges terræ, Ap. 18. v. 3. De vino iræ scortationis ejus
biberunt omnes gentes; unde nunc ita possumus argumentari: Si
prædictum est, novissimis temporibus plerosq; Christianorum, imò
integros cœtus & populos defecturos esse à fide, sequitur omninò,
quòd Ecclesiæ particulares errare possint, siquidem ὑποστασία plus
est, quàm simplex aliquis error. Sed verum est antecedens, vi al-
legatorum textuum. Verùm igitur erit & consequens. Proinde
quoties Pontificii nimis urgent promissiones Ecclesiæ factas, de
ipsius flore & diffusionem: toties nos opponemus prædictiones su-
prà enumeratas, de Ecclesiæ coarctatione & ὑποστασία, unde ap-
paret, promissiones illas non esse simpliciter accipiendas, sed con-
ditionatè, nimirum, si Christiani ductum Spiritus sequantur, &
præscriptos in verbo Dei limites non transiliant.

D

XLI.

Ab Exem-
plo Eccle-
siae veteris.

V. Ab exemplo Ecclesiae veteris, saepius errantis. Si Ecclesiae particulares in Veteri Testamento potuerunt errare, & errarunt saepius circa res fidei, errare quoque poterunt Ecclesiae Novi Testamenti: Sed verum prius; Ergo & posterius. *Minor* probatur pluribus exemplis, quia in Ecclesiam irrepserunt olim errores gravissimi, *tempore* Cainitarum, antediluviano, & Abrahami; *tempore* *μοχαλατρείας* in deserto, sub Judicibus & Regibus, sub captivitate Babylonica, post illam, & cum primis sub Antiocho, *tandemque* sub Pharisaismo, & ultimo tempore ante promulgationem Evangelii. Ex hypothese in super Papistica, (quod multi libri sint Canonici, qui non extent in Hebraeo canone,) sequitur, Ecclesiam Israëliticam, extra quam non fuit alia visibilis Ecclesia, totam gravissimè, & quidem continuè errasse, eò quod libros illos in canonem non receperit, & ita consequenter rejecerit. *Qui enim liber ab Ecclesia in Canonem non recipitur, ab eadem rejectus intelligitur*, teste *Thoma*, part. 3. quæst. 19. art. 4. Neque in dubium vocari potest *consequentia majoris* (1) Quia Ecclesia Judaica, non minus atque Christiana, præclaras habuit promissiones, de præsentia & conservatione divina, *Levit. 26. v. 11. 2. Par. 15. v. 2. Ps. 132. v. 13. Jer. 7. v. 3.* conditionales tamen omnes, nempe si verbo DEI obsequentes essent: qualis etiam conditio semper annexa est promissionibus Novi Testamenti, quas nemo putabit absolutas esse, qui sequentia dicta ponderaverit. *Joh. 8. v. 31. Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. Joh. 15. v. 14. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Heb. 3. v. 6. Domus Dei sumus, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. v. 14. Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae ejus usque ad finem firmum retineamus. 1. Joh. 2. v. 24. Si permanserit in vobis, quod ab initio audivistis, & vos in Filio & Patre permanebitis.* (2.) Quia Paulus ipse ab Ecclesia Judaica argumentatur ad Ecclesiam Christianam, non solum, ut à pari; sed etiam ut à majori ad minus, *Rom. 11. v. 20. 21. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. v. 22. Vide bonitatem DEI in te, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Quivis intelligit, Apostoli hanc esse mentem; *Si Judæi, naturales rami,*

297
rami, errârunt & rejecti sunt; multò magis Christiani, tanquam in-
siti rami, & cœtus eorum particulares, errare poterunt rejiciq̄ue,
si in fide & obedientia non permaneant. Quò enim uberior
est gratia DEI, eò gravior erga præfractos fit ejusdem ira: Et quò
illustriores promissiones factæ sunt, eò atrociores pœnæ & den-
siores tenebræ contemtoribus verbi sunt expectandæ.

XLII.

VI. A variis exemplis Ecclesiarum, in Novo Te- *A variis ex-*
stamento errantium. Quicunq; actu ipso errârunt, ii utiq; *emplis Ec-*
errare possunt, quum actus secundus necessariò præsupponat pri- *clesiarum,*
mum vel potentiam agendi; & frustra disputetur, *Num aliquid fieri*
possit? Si testetur experientia, id factum esse. Atqui Ecclesiæ par- *in N. T. er-*
ticulares in Nov. Testam. sæpius errârunt actu ipso. Ergo etiam *rantium.*
errare possunt. *Minorem* sequentibus exemplis stabilitam damus.

Errârunt (1.) *Ecclesiæ primorum fidelium, ante Christi resurrectionem,* opinando, Eliam Thesbiten è cœlis rediturum, & Messix regnum fore terrenum. In quo errore ipsi fuère simul Apostoli, qui non invento Christi corpore in sepulchro, admirati sunt. *Nondum enim noverant Scripturas, quòd oporteret eum à mortuis resurgere,* Joh. 20. v. 9. Et post resurrectionem quoq; ex præconcepto errore, quæsiwerunt à Christo, *Num hoc tempore restitues regnum Israël?* Act. I. v. 6.

(2.) *Ecclesiæ primitiva post Christi ascensionem,* statuendo, partim leges ceremoniales adhuc observandas esse, in qua etiam opinione hæsit Petrus ipse, Act. 10. v. 20. & hinc prima Hierosolymis synodus celebrata est, in qua error ille repudiatus fuit, Act. 15. v. 1. seqq. partim, gentibus non esse prædicandum Evangelium, vel illas non pertinere ad communionem Ecclesiæ. Hinc Petrus divinâ visione admoneri debuit, ut iret ad Concilium, *μὴ δὲν διακρινόμεν* nihil ambigens Act. 10. v. 20. Ex quo sequitur, ipsum antea dubitasse, *num hoc esset licitum?* Hinc Judæi, ad Christianismum conversi, propterea expostulârunt cum Petro, Act. 11. v. 2. 3. Sic etiam refertur v. 19. quòd dispersi discipuli & Christiani Evangelium nullis prædicârunt, nisi solis Judæis, quia nimirum errabant circa doctrinam de vocatione gentium.

D 2

(3.) Ec-

(3.) *Ecclesia Corinthiaca*, in qua erant schismata, dum quidam se Pauli, quidam se Cephæ esse afferebant, *1. Cor. 1. v. 10. 12. c. 3. v. 4.* in qua insuper multi errarunt circa doctrinam de judiciis & libris forensibus, *c. 6. v. 1.* de divortio, *c. 7. v. 12.* de idolothytis & libertate Christiana, *c. 8. v. 1. seqq. c. 10. v. 18. seqq.* de Cœna Domini, *c. 11. v. 16.* de sacris in peregrina lingua, *c. 14. v. 2. seqq.* & de resurrectione, *c. 15. v. 12.*

(4.) *Ecclesia Galatarum*, qui Spiritum Sanctum quidem acceperant, *Gal. 3. v. 1.* qui Paulum sicut Angelum Dei exceperant, *c. 4. v. 14.* pulchrèq; currebant, *c. 5. v. 7.* & nihilominus citò translati fuerunt à Christo in aliud Evangelium, *c. 1. v. 6.* insensati fuere, non obedientes veritati, & Christum iterum crucifigentes, *c. 3. v. 1.* seseq; rursus convertentes ad infirma & egena elementa, *c. 4. v. 9.* & implicantes semetipfos iugo servitutis, *c. 5. v. 1.* adeò quidem, ut metuat Apostolus, ne frustrà apud eos laboraverit, *c. 4. v. 11.*

(5.) *Ecclesia Colossensium*, quæ doctrinam de libertate Christiana non tenuit illibatam, unde scribit Apostolus, *c. 2. v. 20. 21. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis, Ne tetigeris, neq; gustaveris, neq; contrectaveris?*

(6.) *Ecclesia Asiaticæ.* Nam Angelo Ecclesiæ Ephesinæ dicitur, quòd charitatem primam reliquerit, *Ap. 2. v. 4.* Pergamensi, quòd habeat tenentes doctrinam Balaam, *v. 14.* & Nicolaitarum, *v. 15.* Thyatirensi, quòd permiserit mulierem Jezabel docere, & seducere fervos, & manducare de idolothytis, *v. 20.* Sardensi, quòd Spiritualiter mortuus sit, *Ap. 3. v. 1.* & Laodicensi, quòd neq; frigidus sit, neq; calidus, *v. 15.* quæ omnia non tantum de doctoribus; sed unà de integris Ecclesiis intelligenda esse, contextus, scopusq; Salvatoris innuit, & ipsa experientia testata est.

(7.) *Ecclesie Orientales & Græcæ*, quæ primùm puræ fuerunt, nunc autè in multis articulis errant, ipsiq; Pontificii eas damnant, hac de causa, quòd non amplectantur Papæ primatum, cœlibatum Sacerdotum, mutilationem Cœnæ Dominicæ, purgatorium, & similia; quæ omnia negare, si sunt dogmata erronea, sequitur, Ecclesias particulares errare posse; si non sunt erronea, sequitur Romanam Ecclesiam errare, quæ Orientales anathematis fulmine propterea percellit.

(8.) *Eg-*

(8) *Ecclesie singulorum temporum, ad minimum quoad interpretationem nonnullorum Scripturae textuum.* Quot enim loca sunt mystica, prophetica, & hinc *δυσεξημνηνεντα* atq; obscura, unde factum, ut nulla unquam extiterit particularis Ecclesia, quæ omnia omninò dicta, & vaticinia verè interpretata, & in nullo planè hallucinata fuerit? Percurre commentarios singularum ætatum super Prophetiam Ezechielis, Danielis, & Apocalypsin Johannis, multasq; sine dubio inuenies *ἐξηγήσεις* erroneas, præsertim de Antichristo. Et causam promptu est, quia media interpretationis non sunt absolutè certa & infallibilia.

XLIII.

VII. A quodam simili, quod ita recenset *Mornæus de A quodam Eccles. c. 6. p. 207. Jesus Christus, Ecclesie, tanquam sui corporis est simili.* caput: non hujus, aut illius, aut unius potius, quam alterius cœtus, sed ex æquo omnium. Caput illud, si ad Ecclesiam referatur, eandem habet rationem, quam mens ad hominem, nempe ut eam suo gubernet & dirigat imperio. Quamdiu autem appetitus rationi obsequitur & corpus capiti, hominem benè habere constat: sensus, motus, actiones, facultates deniq; omnes rationis moderantis integritatem referunt. Sin verò appetitus rationis obsequium detrectet, jugumq; excutiat, atq; ebrietate, luxu, vitiisq; omnibus diffluat: Inde necessariò totius corporis intemperies consequitur, vitales partes periculosè læduntur, nunc membri unius, nunc sensus fit jactura: visus, auditus, facultatesq; reliquæ omnes paulatim depereunt: Deniq; justo Dei fit judicio, ut rationis, quam moderatricem ferre nō potuerat, usu privetur. Idem imminere Ecclesie periculum, atq; adeò sæpissimè accidisse affirmo. Quamdiu Ecclesia Christo suo capiti obsequitur, mandatum, quod ipsissima est ratio, attentâ aure excipit, præscriptum in scripturis regimen observat: fieri non potest, quin sanitatem tueatur, sitq; integra, pura, benè habitata. Hoc enim ille regimine inprimis delectatur, Spiritumq; immittit, qui in mediis tenebris lumine suo præeat. Verùm ubi regimen illud conculcat, aures avertit, satis se sapientiâ instructam credit, ut se suo regat arbitrio; & ait, sicut Babylon:

D 3-

Ege

Ego illa sum & præter me nulla est; Tum obsecro quis miretur, si membra paulatim tabescant, nunc illo, nunc altero sensu priventur, si oculi ipsi præcipitem in foveam ducant, si dicat illi Deus, quemadmodum *Babyloni* dixit: *Sapientia tua, & peritia tua ipsa seduxit te;* & ipsi quoq; *Hierusalem*, *Tu confusa pulchritudine tuâ scortata es in nomine tuo.* Inde accidit, ut Spiritus ille Dei, ut ait *Propheta*, eam deserat, atq; relinquat, quæ verbum Dei, cui vinculo indivulso est conjunctus, nullo loco habuerit.

XLIV.

A confessione veterū, & quorundam Pontificiorum.

VIII. A confessione Veterum & quorundam Pontificiorum. *Vincentius Lyrinensis* adver. hæres. c. 4. scribit, non tantum portiunculam aliquam Ecclesiæ, sed etiam totam Ecclesiam novellam aliquâ contagione maculari, hoc est, errore infici posse. *Lombardus*, l. 4. dist. 18. lit. F. *Non semper sequitur Deus Ecclesiæ judicium; Ecclesia enim per surreptionem & ignorantiam interdum judicat. Deus autem semper judicat secundum veritatem. Author oneris Ecclesiæ*, c. 44 §. 8. *Habemus exempla lapsus in Hebræa & Græca Ecclesia, ubi fides Catholica olim viguit; postea miserabiliter evanuit, & adhuc illic jacet supina: Loco cujus multiplices sectæ Manichæorum, Saracænorum, Mahometistarum, aliæq; hæreses infinitæ pullulant, & quasi totam Asiam Africamq; occupant.* In decret. *Gregorii*, l. 5. tit. 39. c. 28. hæc leguntur: *Judicium Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur; Judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quæ & fallere sæpè contigit, & falli, propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, sit apud Ecclesiam solutus: quæ verba posteriora licet in specie loquantur de disciplina Ecclesiastica; priora tamen sunt universalia, & indicant fallibilitatem Ecclesiæ in genere.* *Canus*, l. 4. LL. CC. c. 4. *Ecclesia falli & errare potest in quibusdam rebus, in iis nempe, quæ non sunt illi à Deo revelatæ. Quod si errare potest in his, cur non posset etiam in aliis, nempe, quando revelationem divinitus factam vel non rectè intelligit, vel illibatè non sequitur?*

XLV.

Quod attinet argumenta contraria, in iis diluendis ut hîc immoremur, minimè opus est, siquidem illa potissimum de Ecclesia

299

clesia universali & absolutè sumta agunt, ideòq; ad thesin ultimam differuntur meritò, præsertim quum saniores Pontificii non negent, Ecclesias particulares errare posse, & sæpius actu ipso errasse, de quo vide *Gregorium de Valentia*, l.6. *Analyf.* c.4. p.41. *Reihm-gum* in manuali, art.1. & 2. §.9. p.203. Ideòq; nihil opponere possunt, quia nobiscum consentiunt.

XLVI.

A S S E R T I O V.

Quum quavis Ecclesia particularis errare possit, *Probatultrò sequitur, idem de Ecclesia Romana esse affirm- ulterius, mandum. quòd Eccle-*

Nam sive per Ecclesiam Romanam duntaxat cœtus civium *sia Romana Romanensium, sive universaliter cœtus omnium Pontificiorum, possit errare, Romano Papæ adhærentium, intelligatur, errare illam posse, utro- que modo sumtam, probatur.*

XLVII.

I. A natura cujusvis Ecclesiæ particularis. Sic *A natura* enim colligimus: Omnis Ecclesia particularis errare potest. Ro- *cujusvis Ec-* mana Ecclesia, quocunq; modo sumatur, est particularis Ecclesia. *clesia par-* Ergo Romana Ecclesia errare potest. *Majorem* thesi præcedenti *icularis,* stabilivimus. *Minor* negari nequit, quia cœtus Romanorum ci- vium est particularis, & cœtus omnium Pontificiorum est simi- liter particularis, quum probari nequeat, omnes in toto orbe Ec- clesias omni tempore Romano Papæ adhæsisse. Sua igitur con- clusioni constat veritas.

XLIIX.

II. A divina præmonitione. Si Romana Ecclesia *A divina* non posset errare in fide & deficere, frustranea esset admonitio *præmoni-* Apostoli, de cavendo, ne cadat vel prorsus excidat. Romani *tione.* enim potuissent excipere; *Nos habemus* privilegium peculiare de non errando, ideòq; causa nulla est, cur timeamus, & anxii simus. At verò frustranea non est isthæc admonitio, unde sequitur, Ro- manam Ecclesiam errare & deficere posse. Continetur autem illa

illa Rom. II. v. 20. *Fracti sunt rami propter incredulitatem, tu autem fide stas: Noli altum sapere, sed time.* Paulus hinc Ecclesiam assimilat frugiferæ arbori, Judæos ramis nativis, Gentiles & in specie Romanos ramis insititiis; simulq; innuit, sicut Judæi sint fracti ob incredulitatem, ita Romanos posse incredulos fieri, errare, excindi, ac proinde vult, ut altum non sapiant, sed timeant, ac salutem suam cum tremore operentur. Addit rationem v. 21. *Si Deus naturalibus ramis non pepercit, cave, ne forte nec tibi parcat.* Argumentum est à majore ad minus. Si enim Judæi, naturales rami, sunt excisi, multò minus gentiles, & in specie Romani absolutè immunes erunt ab excisione, sed errare ac deficere poterunt, si donis divinitus concessis abutantur. Deinde jubet Apostolus v. 22. *considerare severitatem & benignitatem Dei, severitatem in Judæos cadentes, benignitatem in Romanos conversos: Hæc autem non est absoluta, sed conditionata, εὐὰν ἰμμενῆς ἦν χενησῶτητι, si permanseris in benignitate; unde sequitur, quòd possint non manere: Et additur expressè; Alioquin ἡγὴ οὐδ' ἐκκοπησῆν, & tu excideris, quæ comminatio fulgur ex pelvi esset, si nullâ ratione excindi possent Romani. Hinc Chrysostomus in hunc locum scribit: *Apostolus instituit illos tremere; & ἡ δ' ἀκίνητά σοι μένει τὰ ἀγαθὰ, εὐὰν ἡ ἀδουῆς; Non enim immota tibi bona permanebunt, si torpueris. Sic cap. 16. v. 17. 18. admonet Romanos, ut observent eos, qui dissensiones & offencicula præter doctrinam, quam didicerunt, faciunt, & ab illis declinent; quia tales seducant corda innocentium. Si ergo observatione hæreticorum & sollicitâ cautione opus habuerunt Romani, ne seducerentur, utiq; seduci, atq; sic errare ac deficere potuerunt.**

XLIX.

Ab ipsis Ecclesie Romanæ erroribus.

III. Ab ipsæ Ecclesie Romanæ erroribus. Quæcunque Ecclesia actu ipso à puritate fidei antiquæ recedit, & gravissimè errat, illa utique recedere & errare potest. At verò Ecclesia Romana actu ipso à puritate fidei antiquæ recedit, & gravissimè errat. Ergo recedere & errare potest. Minorem probamus:

L.

Quam errasse, con-

1. A testimonio veterum. Venerabilis Beda, de degenerante suo tempore Ecclesia, scripsit: *Videt quisque non sine lachrymis rem*
indi-



indignam, quantum Ecclesie status ad pejora quotidie & in infirma devolvatur. Aventinus Hildebrandi, seu Gregorii VII. historiam referens, inter cetera scribit hunc in modum: Pleriq; omnes boni, aperti, justi, ingenui, simplices, tum imperium Antichristi coepisse, quod ea, quae Christus Servator noster tot annis ante nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebant, memoriae literarum prodidere. Leodiensis Ecclesia, anno Christi 1100. in Responso dato Paschali II. Romam vocat Babylonem. Aventinus refert l. 5. Annal. Bojorum, fol. 591. quid post mortem Hildebrandi acciderit. Sacerdos, inquit, expiranti similis tri-duo in Saxonia decubuit. Is ubi ad se rediit, apud inferos Hildebrandum, Rudolphum, Hermannum tyrannos aeternis maectari supplicis revelavit. Falsi tamen Prophetae, falsi Apostoli, falsi Sacerdotes emertere, qui simulata religione populum deceperant, magna signa atq; prodigia ediderunt, & in templo Dei sedere, atq; extolli super omne id, quod colitur, coeperunt. Bernardus, Hodie, inquit, serpit putida tabes per omne corpus Ecclesie, & quod latius, eo desperatius, cog; periculosius, quod interius. Petrus Blesensis, epist. 55. ait: Clerici & Episcopi occisores Romam mittuntur, euntesq; in delictu, cum plenitudine gratiae Apostolicae, & majori delinquendi audacia revertuntur. Hic Christus exul, Antichristus Dominus, Beelzebub Judex. Elisabetha virgo in sua visione, Mater, inquit, meretrix est, Pater scurra & sodomita: Ergo nunc quero: Pullus erit qualis, quem fert commixtio talis? Gerson part. 1. de exam. doctrin. confid. 2. sub finem queritur, quod plus Papa, quam Christo, ejusq; Evangelio credatur. Auctor libri, Stella Clericorum, dicti, O Domine, ait, Pastores tui mutati sunt in tonsores, defensores in dissipatores; qui deberent esse sobrii, quotidie sunt ebrii; qui Praelati, Pilati: qui casti, incesti: qui pastores, seductores. Franciscus Petrarca, Romam, fictitiam Petri sedem, sic descripsit epist. II. Omne ibi bonum perditur, spes, fides, charitas: Futura vitae spes ibi inanis fabula, & quae de inferis narrantur, fabulosa omnia. Resurrectio carnis, mundi finis, & Christus ad judicium venturus, intra nenas habentur, veritas ibi dementia est. Idem de Roma scripsit, quod sic

Fons arumnarum, domus irae, plena furoris,

Errorum ludus, sedarum mobile templum.

Addit: Roma quidem fueras, nunc es Babylonia fallax.

Anno Domini 1230. Abbas Joachimus Calaber, in rhytmis

E

suis

suis Germanicis, Pontificem, ejusque Clericos *Antichristos* pronun-
 ciavit. Dantes Florentinus scripsit, *Papam ex Pastore factum Lu-*
pum, vastare Ecclesiam, non curare unquam cum suis spiritualibus verbum Dei,
sed tantum sua decreta. Johannes de Rupescissa, circa A. C. 1340. as-
 seruisse legitur, *Ecclesiam Romanam esse meretricem, Papam Antichristi*
ministrum, Cardinales Pseudoprophetas. Matthias quoque Parisiensis sub
 annum 1380. librum de *Antichristo* valde prolixum scripsit, &
 Antichristum jam venisse probavit, ab operibus illum describens,
 quæ dicit esse, quod *fabule & adinventiones hominum in Ecclesia re-*
gnent, quod passim statuae, & falsæ reliquæ colantur, quod alii alios san-
ctos ac Servatores pro Christo colant. Vide plura testimonia in præfat.
D. Hunni, super locum de Ecclesia.

Testimonia
 ipsorum
 Pontificio-
 rum,

L I.

2. *A testimoniis ipsorum Pontificiorum.* Cardinalis Petrus de A-
 liaco, ducentis abhinc & amplius annis, sermone in Concilio
 Constantiensi publicè habito, inquit; *Manifestum est, quod longo*
jam tempore Ecclesia (Romana) fuit multipliciter deformata, indiguitque
& nunc maxime indiget, ut in fide & moribus reformetur. Jam si Eccle-
 sia Romana deformata fuit, & reformatione quoad fidem indi-
 guit, sequitur illam in fide errasse, quia per nihil aliud, quam per
 errores deformatur quoad fidem Ecclesia. Idem Cardinalis inte-
 grum conscripsit tractatum *de modo reformandi Ecclesiam Romanam,*
 ex quo multa lectu digna citat *Joh. Wolffius, Tomo I. cent. 15. p. 757.*
 seqq. Pauli III. jussu novem ad id delecti partim Cardinales, par-
 tim Episcopi, peculiari libello morbos Ecclesiæ Romanæ descri-
 pserunt, quem quidem latere perpetuò volebant, sed operâ *Nicolai*
Archiepiscopi Capuani, in Germaniam emanavit, referente Ver-
gerio in annotat. super Catal. Hæret. To. I. fol. 251. & seqq. Faten-
 tur ibi, *Ecclesiam fere in præceps collapsam esse; & expressè dicunt; Per*
nos, per nos, inquit, nomen Christi blasphematur inter gentes. Imò ad-
 dunt: *Nomen Christi à gentibus clericisque oblitum esse.* Ipse Pontifex
 Adrianus VI. referente *Flacio, l. de dissension. Pontificiorum, p.*
101. in Comitibus Norimbergensibus, Anno 1522. celebratis, per le-
gatum suum (Cheregatum) idem confessus est: Scimus, inquit,
in hac sancta sede jam aliquot annis multa abominanda fuisse, abusus in
spiritua-

spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia deniq; in perversum mutata. Nec mirum, si aegritudo à capite in membra, à summis Pontificibus in aliquos inferiores Prælatos descenderit. Paulò post: Qua in re, quod ad nos attinet, polliceberis, nos omnem operam adhibituros, ut primum curia hæc, unde fortè omne hoc malum processit, reformetur, ut sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit; Ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos tantò arctius obligatos reputamus, quantò universum mundum hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus. Et iterum: Quanquam nemo mirari debet, si non statim omnia errata & abusus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimium morbus est, nec simplex, sed varius & multiplex, pedetentim in ejus cura procedendum est, & prius gravioribus magisq; periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus. Hæc Adrianus Papa. Quum verò Lutherus totam istam actionem eaderet, scholiis illustratam, adjecit, vocem pedetentim ita esse intelligendam, ut centum millia annorum inter singulos pedes aut passus intercederent, volens indicare, Pontificem nunquam semetipsum & curiam suam reformaturum esse. Andreas Fricius l. 4. de repub. emendanda, c. 5 scribit: Pontifici pleriq; multa & in doctrina, & in Sacramentorum administratione, & in disciplina emendari optant. Quin Pontifex ipse Adrianus VI, in dicta legatione, quam ad conventum Norimbergensem Anno Christi 1522. miserat, à planta pedis ad verticem capitis nihil esse sanæ in toto corpore ordinis Ecclesiastici, affirmat. Referatur huc libellus Nicolai Clemangis, Defensor pacis à Marsilio Patavino editus, Epistolæ Petri de Vineis, Opuscula Erasmi, & Gregorii Cassandri Consultatio, in quibus scriptis omnibus Ecclesiæ Romanæ errores taxantur, & ejusdem ab antiqua fidei puritate defectio luculentè satis innuitur. Cassander sanè art. 7. expressè fatetur, quòd præsens Ecclesia, (loquitur autem de Romana) non parum in morum & discipline integritate, quin etiam in doctrinæ sinceritate, ab antiqua illa, unde orta & derivata sit, dissideat.

LII.

3. A communibus populi & statuum in Germania querelis. No- Commu-
tum est antiquum proverbium: Ecclesiæ præses est deses, non mollit, nes quere-
sed tollit. Editus jam olim est liber, cum hoc titulo, Onus Ecclesiæ, in^{te.}

E 2

quo

quo ob plurimos Romanæ curiæ errores & abusus, graves instituuntur querimoniam. Sic de Simonia Romana extat proverbium hoc: *Curia Romana non petit ovem sine lana; Dantes exaudit, non d. n. tibus ostia claudit.* Simonia verò nominatur *heresis*, causâ i. q. i. c. 3. 5. II. 13. Status Imperii conscripserunt peculiarem librum, & præscripserunt hunc titulum, *Centum gravamina*, in quo similiter de erroribus & abusibus Ecclesiæ Romanæ non *parum* conqueruntur. Sic *causæ retractati Concilii Tridentini* nihil aliud sunt, quàm publicæ querelæ de corrupto Ecclesiæ Romanæ statu.

LIII.

Et exempla errorum Papi-
sticorum; qui continentur
Bellarmini
Tomo primo,

Tomo secundo,

4. *A quibusdam errorum Papi-
sticorum exemplis.* Tam multi eorum sunt, ut vix numerari, vel in ordinem possint redigi. *Tribus* tamen *modis* recenseri possunt. (1.) *Juxta ordinem controversiarum Bellarmini.* Nam errant in loco *de Scriptura*, in quam committunt crimen impietatis, falsi, calumniæ & sacrilegii, ut demonstratur alibi; *De cultu Dei*, dum scribunt, sufficere, si dicens preces horarias, intentionem generalem habeat, servitium divinum dicendi; cæterum non referre, quamvis animus ejus ad alia divagetur, Thomas in l. 4. sent. dist. 15. qu. 4. *De Christo*, cujus personæ & majestati detrahunt, negando communicationem idiomatum, & omnipræsentiam assumptæ carnis; cujus officium & meritum enervant, fingendo, Christum satisfecisse tantum pro peccato originali, addendo merita humana, scribendo, Christi meritum non mereri nomen veræ & perfectæ satisfactionis, quæ blasphema vox est *Ruardi Tapperi*, To. I. art. 6. *De Papa Romano*, quem invitâ Scripturâ pro capite & iudice habent infallibili, à quo Christianos omnes, velut ab oraculo quodam dependere volunt; & quem potestatem summam in spiritualibus & temporalibus habere falsò jactitant; *De Conciliis*, quibus authoritatem attribuunt nimiam; *De Ecclesia*, cujus naturam & notas minus rectè explicant; *De Clericis*, quorum vocationem soli Pontifici malè adsignant; quorum officia præcipua per horribilem Simoniam vendunt; quos à potestate seculari malè eximunt; & quibus matrimonium contra Scripturas prohibent, nec tam peccare illos scribunt, si centum concubinas aulant, quàm si secundum ordinationem Dei, & concessionem Apostoli

stoli Pauli, unam legitimam uxorem habeant, *Costerus* c.17 *Enchir.*
De monachis, eorum vota & opera electitia nimis extollendo, siqui-
 dem Thomas scribit, per illa homines perfectè satisfacere, imò sa-
 tisfactionem transcendere, *opus* c.8. Et Antonius refert, usitatum
 fuisse suo tempore sub imagine Pauli scribi; *Per hunc itur ad Chri-*
stum; Et sub Dominici, *sed facilius per istum*. In cappis etiam Mo-
 nachorum spem & fiduciam quandam habent repositam; Unde
 in *Breviario* de Consecr. Cucull. monast. orant Deum, ut vestem
 istam benedicat & sanctificet, *ut sint arma fortia ad tegenda peccata,*
& tutum munimen contra Spiritum aëris, & ignita tela inimici; quam
 ob causam multi in cappis monasticis sepeliri volunt, existiman-
 tes, se propterea citius ex purgatorii pœnis liberatum, & in coele-
 stem gloriam assumptum iri: *De Laicis*, præsertim de Magistratu, cui
 jus vocandi, omnemque curam circa res Ecclesiasticas adimunt,
 & quem pro scabello & executore Pontificis unicè habent; *De*
purgatorio, quo terrent conscientias, & replent suas crumenas; *De*
Sanctis, quos invocant, non tantum ut intercessores, sed etiam ut
 Mediatores & opitulatores, sicuti vel ex solo Psalterio Mariano
 constat: *De imaginibus*, quas religiosè colunt, adeoque honorem
 soli creatori debitum, creaturæ non sine idololatria deferunt; *De*
Sacramentis, quæ putant gratiam conferre ex opere operato, tam-
 etsi utens pium cordis motum prorsus nullum habeat, *Biel* l.4. dist.
 1. q.3. *De Baptismo*, variis cum exorcisationibus & ineptis cere-
 moniis conspurcando, nec non campanis contra institutionem
 Christi impertiendo: *De Confirmatione*, quam multis vicibus præ-
 ferendam esse Baptismi Sacramento, ab ipso Christo instituto, bla-
 terant *Dist.* 5. *De consecrat.* c.3. *De Cœna Domini*, quam barbaro trans-
 substantiationis dogmate conspurcant, in qua Sacerdotem fin-
 gunt esse creatorem sui creatoris, qui in ejus manibus velut in ute-
 ro virginis incarnetur; *Pomerius* in celebr. primitiarum. *Loch-*
meyer serm. 114. *Biel* super can. Missæ, lect. 4. cujus partem alteram
 sacrilegè suffurantur Laicis, quam in theatricam Missæ actionem
 commutant, quò accedit erronea panis benedicti asservatio & a-
 doratio: *De pœnitentia*, quam præcipuâ parte, nimirum fiducia fi-
 liali spoliant, & in meram carnificinam conscientiarum commu-

Tomo Ter-
 tio,

Tomo
quarto.

tant, requirentes sufficientem contritionem, specialem omnium peccatorum confessionem, & propriam, à sacrificulo tamen impositam, satisfactionem: *De indulgentiis*, quas vendunt, & per quas peccatorum remissionem impetrari posse fingunt. Ita enim Tezelium, & alios mercatores Romanos statuisse, notum est ex historiis, & Taxa Apostolica, unde Poëta cecinit: *Si dederis marcas, & eis impleveris arcas; Culpâ solvêris, quâcumq; ligatus haberis*: de quo plura videantur *gravamine* 3. Imperii: *De extrema unctione*, quam sine mandato scripto adhibent, & cui contra Scripturam viam divinam ascribunt: *De ordinibus sacris*, quorum septem committuntur; quò etiam pertinet fictitius ille character indelebilis; *De Matrimonio*, quod pro statu carnali & impuro habent, eoq; applicant dictum Rom. 8. v. 8. *Qui in carne vivunt, Deo placere non possunt*: *De statu primi hominis*, quem cum rebellionem virium fingunt esse conditum, & hinc negant, justitiam illi fuisse naturalem: *De peccato originis*, quod nimis extenuant, pro mera privatione habent, in renatis peccatum esse propriè dictum inficiantur; *De gratia*, quam scribunt esse non favorem Dei, sed infusum quendam habitum; *De predestinatione*, quam more Calviniano absolutam faciunt; *De libero arbitrio*, quod in rebus etiam spiritualibus agnoscunt: *De justificatione*, quam malè definiunt, non per imputationem justitiæ Christi, sed per infusionem novarum qualitatum, simulque in duas species, in primam & secundam absurdissimè dispeſcunt: *De certitudine gratiæ & salutis*, quam penitus tollunt, & contra dubitationem urgent, adeoque omne verum solatium Christianis adimunt: *De bonis operibus*, quæ putant ad salutem promerendam esse necessaria, & quibus perfectè legi satisfieri posse autumant: *De jejuniis*, quod in delectu ciborum ineptè collocant: *De eleemosynis & similibus*, quibus opinionem cultus, meriti & satisfactionis ascribunt, &c. de quibus omnibus nonnihil latius differitur in *Antileſio*, part 3. rat. 6. p. 482. seqq. & p. 497. seqq. L. 3. *Sibrandi Lubberti de Ecclesia*, c. ult. p. 186. seqq. in *Sexcentis erroribus D. Heshusii*, in *Enchiridio D. Osiandri*, in *Papismo D. Gisenii*, & in *Jesuitismo D. Pelargi*.

(2.) Juxta

(2.) Juxta articulos Symboli Apostolici, quod præstitum est à Dn. D. Gerardo, To. 5. LL. CC p. 1141 seqq.

(3.) Per collationem dogmatum Papalium cum Epistola Pauli, ad Romanos scripta, quod ab eodem præstitum, T. 5. p. 322. seqq. & à Dn. D. Hunnio, in præfat. super Epistolam ad Romanos, quorum operâ hîc uti, adeoque temporis quoddam facere possumus compendium.

LIV.

A N T I T H E S I S P O N T I -
F I C I O R U M.

Duo negant Pontificii : 1. Quòd Romana Ecclesia errare possit : 2. Quòd actu ipso erraverit, vel à fide defecerit, De utroque placet seorsum agere.

LV.

De prima Papistarum negativa.

Quòd Romana Ecclesia errare non possit.

Hoc disertis verbis proponit Bellarminus, l. 4. de R. P. c. 4. col. Pontificii 970. B. Non solum, ait, Pontifex Romanus non potest errare in fide, sed ne-que Romana particularis Ecclesia. Hoc verò explicat dupliciter : 1. gant, Confert Papam & Romanam Ecclesiam, dicitque, Pontificem non posse errare errore judiciali, h. e. dum judicat, & definit quæstionem mana Ecclésiæ fidei ; sed Ecclesiam Romanam non posse errare errore personali, ita, ut omnes omninò errent, & nulli sint in Ecclesia Romana fideles, & errare, Pontifici adhærentes. Tametsi enim, inquit, unusquisq; seorsum errare potest, tamen id fieri non potest, ut omnes errent simul, & tota Romana Ecclesia apostatica efficiatur.

Resp. Secundum hanc explicationem parum privilegii retinebit Romana Ecclesia. Nam de quavis particulari potest asseri, quòd illâ totâ errante, unus altervè fidelis remaneat. Vix enim fieri solet, ut quando deficit aliqua Ecclesia, simul & semel universi singulique fideles deficient ; sed errante majori parte, plerumque aliqui manent & latent ab erroribus immunes, propterea
tamen

tamen non debet dici, quòd Ecclesia particularis errare non possit. Sic concedimus, in media Roma latitare quosdam verè fideles, & nihilominus verum manet hoc, quòd Ecclesia Romana tota gravissimè erret, quoniam illa in hac quæstione consideratur non ratione paucorum in ea latentium; sed ratione publici præconii, & membrorum publicè fidem suam profitentium, ubi dicimus, eam totam errare, quia doctrina ibi sonans planè corrupta est, ejusque membra omnia propriè dicta, erroneis opinionibus sunt contaminata. Qui verò fideles ibi reperiuntur, illi quidem in Romana Ecclesia vivunt, sed de Romana Ecclesia non sunt, ideoque ab illorum orthodoxia concludi nequit, quòd Ecclesia Romana tota non erret. Sin autem Bellarminus putet, fieri non posse, ut omnia propriè dicta Ecclesiæ Romanæ membra errent, in eo principium petit, & contrarium jam satis superque demonstratum est.

LVI.

2. Distinctionem hanc affert: *Ecclesiam Romanam non posse errare, adhuc dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut non possit errare, persistente Romæ Apostolicâ sede; secus autem si sedes auferretur: quam propositionem dicit esse verissimam, probare verò nequit, licet quædam testimonia Patrum eò torqueat: Altero modo, ut simpliciter non possit errare vel deficere, quia nec sedes Apostolica possit unquam Româ aliò transferri, quam esse quidem dicit piam & probabilissimam sententiam, non tamen ad eò certam, ut contraria dici possit erronea, vel manifestè hæretica, Prius inde probat, quia diu manserit Romæ sedes Apostolica non obstantibus infinitis persecutionibus, & occasionibus recedendi, quia etiam Deus ipse jusserit Romæ figi Apostolicam Petri sedem. Posterius probat, quia nec Scriptura, nec traditio habeat, sedem Apostolicam ita fixam esse Romæ, ut inde auferri non possit.*

Resp. I. *Quòd Romana Ecclesia non possit errare, Papâ ibi residente, asseritur quidem, sed firma nos requirimus fundamenta, qualia proferre nequeunt Pontificii. Nulla hîc habetur promissio, nullum potest allegari dictum Scripturæ, nulla proferatur ratio: Humanâ tantùm autoritate nituntur, in re tam gravi,*
& quæ-

& quædam testimonia veterum corradunt, quæ pravè intelligunt, & vitiosè applicant, ut ostendit *Whitakerus*, quæst. 6. de R. P. c. 2. p. 756. seqq. 2. *Quod* sedes Apostolica non possit transferri alio, gemina est principii petitio. Probandum enim primò, quòd ibi fixa, vel constituta sit aliqua sedes Apostolica, & probandum ulterius, quòd absolutè transferri inde nequeat residentia Papæ. Contrarium testatur experientia, quia tempore *Totilæ*, Gothorum Regis, Romam deseruit Papa, & aliquando per 70. annos in Galliis Avenioni sederunt Pontifices. Potest insuper urbs Roma tota vastari & deleri, ut aliæ urbes; Ubi ergo tunc manebit sedes Papistica? Romanæ sedis autem diuturnitas non probat absolutam immutabilitatem; & fabulam, quòd Christus jusserit Petrum Romæ sedem figere, non moramur. Dissentiunt etiam ipsi Papistæ de hoc themate, uti videre est apud *Alphonsum Mendozam*, in *Controv. Theol.* quæst. 4. Scholast. p. 291. Et quoniam *Bellarminus* concedit, ex Scriptura probari non posse, quòd sedes Apostolica Romæ ita sit affixa, ut transferri nequeat; exinde sequitur, non esse de fide, nec ex Scripturis posse demonstrari, quòd Ecclesia Romana errare nequeat, siquidem privilegium non errandi à cathedra vel sede Apostolica secundum ipsos unicè dependet.

LVII.

De Secunda Papistarum negativa.

Quòd Ecclesia Romana non defecerit, neq; hodie erret in fide.

Probare id conantur hoc discursu, quem fusè proponit *Valentianus*, l. 6. Anal. c. 12. *Ecclesia Romana fuit olim vera Ecclesia, cujus fides annunciabatur in toto mundo, Rom. i. v. 8. Ergo etiamnum est, quæ vera Ecclesia nunquam deficiat.* *Becanus* Tom. 5. de Eccl. qu. 2. concl. 3. th. II. p. 644 argumentum illud in talem formam redigit: *Vera Christi Ecclesia non potest deficere vel errare in fide: Ast Ecclesia Romana, Pontificia, Catholica seu universalis, fuit aliquando vera Christi Ecclesia. Ergo non potuit deficere vel errare in fide.* Resp. per instantiam ab Ecclesia Thessalonicensi, de qua scribit etiam *Apostolus* I. Thes. I. v. 8. *A vobis personavit sermo Domini non solum in Macedonia & Achaia;*

Negant etiam, quòd Romana Ecclesia defecerit, vel erret in fide.

Achaia; verum etiam in omni loco fides vestra, quae est in Deum, dimanavit. Fuit igitur coetus Thessalonicensium vera primum Ecclesia, & tamen nunc desit esse, quod primum erat. 2. Quocirca negamus consequentiam à statu praeterito ad praesentem, quia mutationes variae intervenire possunt, ut aliquid non sit etiamnum id, quod fuit olim. Sic Hierosolyma primum erat urbs sancta, post facta est meretrix, *Es. 1. v. 21.* Sic tota synagoga Judaica primum erat Dei peculium, post degeneravit in Pharisaicam colluviem, multis erroribus contaminatam: Quot in oriente, fuerunt verae Christi Ecclesiae, quae nunc serviunt Antichristo Orientali? Idem contigit Ecclesiae Romanae, quae primum Christi fuit, nunc Occidentalis Antichristi est ministra. 3. Quod attinet rationem adiunctam, vel majorem syllogismi, *Nunquam deficere veram Ecclesiam,* id lubenter concedimus de universali & invisibili Ecclesia, quae ob factas promissiones nunquam tota interit; negamus autem de Ecclesiis particularibus, quas singulas errare & deficere posse satis demonstravimus; Romana verò Ecclesia non fuit, non est universalis; sed particularis Ecclesia, quam per peculiare privilegium exemptam esse à deficiendi periculo quum dicunt Pontificii, in eo principium petunt, nec probare possunt quod asserunt.

LIIIX.

Ubi solvuntur tres quaestiones. 1. Quo tempore Ecclesia Romana defecerit?

Pergit verò Becanus ulterius, & tres movet quaestiones. Prima: *Quo tempore Ecclesia Romana defecerit à vera fide?* Ibi nostros accusat inconstantiae, siquidem alii conentur certum defectionis tempus definire, qui tamen ipsi dissentiant; alii fateantur, se id ignorare, qui diversas hujus ignorantiae causas allegent, *qu. 2. concl. 3. ib. 13. seqq. p. 647.*

Resp. 1. Ecclesiam Romanam degenerasse à prima fidei puritate, & plurimum immutatam esse, supra ostensum fuit ex propriis Pontificiorum testimoniis. Dicant igitur illi, qui mutationem factam agnoscunt, quo tempore illa coeperit, vel contigerit; quod praestare nequeunt, & nihilominus mutationem concedunt.

2. Dantur exempla mutationum non pauca, quarum ignorantur initia. Tempore Christi, per Phariseos depravata plurimum

mum erat religio vera; & in Ecclesias græcas irreplisse multos errores, ipsi queruntur Pontificii: Nec tamen præcisè indicari potest, quibus temporibus, & per quos facta sit inclinatio religionis tum Mosaicæ inter Judæos, tum Christianæ inter Græcos. Sic in Rebus publ. sæpè contingunt variæ alterationes & legum in flexiones, communi civium morbo, neq; tamen vel illarum authores, vel primum tempus, vel modus, aliæq; circumstantiæ notæ sunt.

3. Ad demonstrandam ergo mutationem non semper requiritur accurata singularum circumstantiarum notitia & enumeratio, quia rem istæ non constituunt, sed comitantur. Sufficit, si evidentibus documentis evincatur mutatio, licet ignoretur præcisum mutationis tempus, unâ cum primis ejusdem authoribus: Id quod illustrari potest tum parabolâ Christi; tum aliquot similibus. *Parabola* extat, *Matt. 13. v. 24. 25.* ubi legimus Zizania inter mediū triticum ab inimico seminata esse, *hominibus dormientibus*: hoc est, non observantibus, ideòq; ignorârunt postea tempus & auctorem istius mixturæ. Sic etiam in agro Ecclesiæ Romanæ seminata sunt Zizania, dormientibus Christianis. *Similia* proferri queunt varia. Ut *navicula* potest, nemine attendente, rimas paulatim facere, donec fluctibus tandem obruatur; Sic navis Ecclesiæ potest sensim corrumpi, donec errorum fluctibus tota impleatur. *Non est negandum*, aliquem incidisse in foveam, vel noctu vulneratum esse, si utrumq; manifestum sit, licet tempus incidentiæ aut vulnerationis ignoretur. Sic *meretrix* nominatur, quæcunq; extra legitimum matrimonium concepit & peperit, tametsi tempus & locus, & fornicator ipse nesciatur. Nam ab ignoratione hominum ad negationem rei non licet argumentari.

4. Distinguimus proinde inter mutationem *lentam & subitanam*. Illa à multis ex ignorantia & incuria causatur, hæc à nonnullis duntaxat ex malitia & odio introducitur. Quando igitur religio variatur subitò, & impugnatur à manifestis hæreticis; tunc quidem circumstantiæ notari possunt, quia recessus ab Ecclesia fit apertè, statim resistentibus aliis orthodoxis doctoribus. Sed quando ipsum Ecclesiæ corpus totum pedetentim labascit, ipsiq; Epi-

scopi dormiunt, & ex incuria jam hunc, jam alium abusum sive invehunt, sive permittunt, atq; sic immutatio fit non statim sed paulatim, ut in Ecclesia Romana contigit; Ibi tum puritatis fidei antiquæ inclinationem homines haut ita observant, donec accreverit malum, & se in summo periculo constitutos esse viderint. Ut enim morbi corporis vel sunt manifesti & subitanei, quorum indicari potest causa & tempus; vel lenti, ut phtisis, hydrops, & similes, quorum initia non sentiuntur, successivè tamen morbum hujusmodi crevisse noscitur; Sic morbi corporis Ecclesiastici non omnes sunt repentini, ut vel ipsi, vel ipsorum circumstantiæ notentur; sed multi sunt lenti, & primùm exigui, post magis magisq; serpunt, donec universa tandem Ecclesia inficiatur.

5. Quod attinet *dissensiones Nostratum*, apparentes tantùm illæ sunt, non veræ, vel reales. Ignoratur tempus mutationis primæ quoad nonnulla; assignatur tempus quoad alia doctrinæ capita. Occultè facta est mutatio in quibusdam; manifestè similiter in quibusdam, unde tempora mutationum indicare partim possumus, partim non possumus. Deinde non ab omnibus unum notatur tempus, pro diversitate articulorum, de quibus agunt; & quidam de Papatu inchoato, quidam de amplificato, quidam de consummato loquuntur; quæ quum diversissima sint, hinc diversa annotari tempora, nemo mirari debet; quod unum si observetur, facili negotio diluuntur, quæ *Becanus* contrà inspergit, *th. 16.*

LIX.

2. In quibus articulus Ecclesia Romana defecerit?

Secunda quæstio est: In quo, vel quibus articulis defecerit Ecclesia Romana? *th. 17.* Resp. In iis, quos juxta ordinem controversiarum *Bellarmini* suprâ enumeravimus. Hanc autem non esse defectionem, ex Patribus probare conatur *Becanus*, quia illi senserint idem, quod hodierni sentiant *Papista*, *th. 19. seqq.* Verùm (1.) Vana est ea gloriatio, quod ostendit *Chemnitius* in *Examine*, *D. Echardus* in *Compendio Patrum*, *Perkinsus* in *ementito Catholico*, & *Polanus* in *Symphonia Catholica*. Tamen etiam Patres in quibusdam pro se citare queant, sunt tamen ista hujusmodi, in quibus & ipsi Patres errârunt, unde nulla est inconstantia,

ut

ut nobis *Becanus* objicit, th. 28. quando asserimus, *partim*, Papistas deserere veram antiquorum Patrum doctrinam; *partim*, antiquos Patres unà cum Papistis errare. Nam diverso respectu verum est utrumq. *Deserunt Patres*, quoad præcipuos veræ fidei articulos; *Sequuntur Patres*, quoad errores nonnullos, quibus ipsi fuerunt implicati. (2.) Scripta Patrum non sunt norma fidei, sed verbum Dei. Quando igitur ostendimus, articulos hodiernæ religionis Papisticæ non convenire cum verbo Dei scripto, sequitur ultrò, factam esse mutationem, quia religio primitivæ Romanæ Ecclesiæ cum verbo scripto in omnibus conveniebat. Neque hîc præter Scripturam opus est alio vel iudice, vel interprete supremo, quum illa utrumque præstet; ubi tamen addimus, nos minimè repudiare vel ministeriale iudicium Ecclesiæ; vel legitima interpretationis media, inter quæ consensum Patrum, & testimonium prisce Ecclesiæ nos ipsi numeramus.

LX.

Tertia quæstio est: *An post defectionem Ecclesiæ Romanæ, remanserit aliqua alia Ecclesia visibilis in terris, nec ne?* th. 32. Resp. (1.) *deserant* nobis Jesuwitæ, Num post defectionem Judaicæ Ecclesiæ, tempore Eliæ & Pharisæorum, aliqua alia Ecclesia visibilis remanserit in terris, & tum iis quoque respondebimus. (2.) *Ex manserit abundanti* addimus, quando Papatus ad *ἀκμὴν* pervenit, nominari quidem nequit aliquis cœtus integer, cui publicum puri cultus Ecclesiæ exercitium fuerit permillum, quia tyrannus Papa sæviebat nimis: Vera tamen Ecclesia in quibusdam piis latentibus; ut & in quibusdam confessoribus & martyribus semper conservata fuit, non secus atq; tempore Eliæ & Pharisæorum contrigit.

LXI.

ASSERTIO VI.

deserit Ecclesia particularis & universalis, quatenus sequitur vocem Spiritus Sancti, nullatenus errare potest, nec in secundariis, nec in primariis fidei articulis.

Ecclesia, quatenus sequitur vocem Spiritus Sancti, nullatenus errare potest.

F 3



De hac thesi nullam puto moveri posse controversiam; tam certa ea est & infallibilis. Si enim Ecclesia errare posset tunc etiam & eatenus, quando & quatenus sequitur ductum Spiritus Sancti; consequens esset, ipsum Spiritum Sanctum errare & falli posse, quod blasphemum. *Patet consequentia*, quoniam error ejus, qui ducitur, merito adscribitur illi, à quo ducitur, præsertim si erret, quatenus ducitur.

LXII.

ASSERTIO VII.

Ecclesia universalis in fundamentalibus articulis nunquam errat tota,

Ecclesia universalis, licet ratione sui, quatenus est cœtus hominum infirmitati subjectorum, tota quidem errare possit; in fundamentalibus tamen articulis nunquam errat tota, ob factas promissiones divinas, & assistentiam Spiritus Sancti, qui semper aliquam in terris sibi conservat Ecclesiam, fundamentum fidei retinentem illibatum.

quod probatur.

Divinis promissionibus,

Quod tota ratione sui errare possit, probatur inde, quia tota nihil est aliud, quam cœtus hominum, qui omnes ratione sui falli & fallere possunt, *Ps. 116. v. 11. Rom. 3. v. 4.* Quod autem tota non erret, fit inde, quia Deus sibi aliquam semper in terris conservare vult Ecclesiam. Nulla verò esset, si tota erraret. *Antecedens probatur (1.) promissionibus, Matth. 16. v. 18. Porta inferorum non prevalebunt adversus eam. Matth. 24. v. 24. Surgent Pseudochristi, & dabunt signa magna, ita, ut in errorem inducantur electi, si fieri posset; quibus verbis innuitur, Deum semper conservare electos quosdam, qui aliquam omninò constituunt Ecclesiam. Matth. 28. v. ult. Ego sum vobiscum, usq; ad consummationem seculi. Eph. 4. v. 11. 12. 13. Dedit doctores usq; ad consummationem sanctorum, donec occurramus omnes in unitate*

Dicto 1. fidei. (2.) Dicto Pauli, quo jubet mortem Domini in Sacramento Cœnæ annunciari, donec ad judicium veniat, 1. Cor. 11. v. 26. Ergo semper oportet aliquos superesse pios, qui eandem annuncient.

Aliis Scripturæ testimoniis,

(3.) Testimonis illis, quibus innuitur, adveniente Domino, inventum iri, tametsi non adeò multos, tamen aliquos fideles, Luc. 18. v. 13. Matth. 25.

Matth. 25. v. 32. 1. Thes. 4. v. 27. unde sequitur, Ecclesiam semper mansuram usq; ad diem ultimum. (4.) *Assertio Symboli Apostolici*, ubi *Et assertio* dicitur: *Credo Ecclesiam Catholicam.* Fidei verò articuli sunt perpetui & invariabiles, ideoq; semper in terris superesse Ecclesiam, *Apostolici.* quæ credi possit, ultrò sequitur.

LXIII.

ASSERTIO VIII.

Ecclesia universalis, absolutè & sine limitatione sumpta, in articulis minus principalibus, & secundariis quæstionibus tota errare potest, & actu ipso erravit aliquando.

Ecclesia universalis in minus principalibus articulis errare potest.

Intelligimus hoc non tam ratione singulorum fidelium, quasi nemo sit in toto orbe terrarum, qui errante Ecclesiâ, fidem veram absq; admixtis erroribus in corde suo teneat, quippe quod nos in dubio relinquimus, quum *καρδιογνώσαι* non simus, & sæpius corda auditorum puriora sint labiis pastorum; quàm ratione publica doctrine, quæ ab ordinario ministerio profertur, ubi asserimus, quòd totum presbyterium, adeoq; tota visibilis Ecclesia vera, quatenus suam illa publicè doctrinam profitetur, in secundariis & minus principalibus articulis errare possit, & nonnunquam erraverit.

LXIV.

Probamus hoc (1.) Ab exemplo Israëlitarum, qui in quæstionibus secundariis, præsertim tempore Pharisæorum, errarunt singuli, dum multa pro veris habuerunt, quæ tamen falsa fuere, uti liquet vel ex sola illa communi opinione, Eliam Thesbitem, è cœlis rediturum esse, antequam Messias sit venturus. (2.) Ab exemplo primorum Christianorum, qui omnes errarunt in doctrina de legum ceremonialium observatione, & gentium vocatione, ex quibus illam necessariam; hanc omittendam esse opinati sunt. (3.) Ab exemplo Patrum posteriorum, qui subinde novas aliquas & erroneas opiniones invexerunt, unde quatuor in Novo Testamento sive ætates sive facies constituuntur.

Quod probatur exemplo Israëlitarum,

Primorum Christianorum,

Patrum posteriorum,

Mam

*Per ipsam
experien-
tiam.*

*Et testimo-
nia quorun-
dam Ponti-
ficiorum.*

*Pontificii
volunt pro-
bare, quod
Ecclesia
absolute
non erret.*

Nam *primum* erat *pulchre ornata* tempore Apostolorum, & virorum Apostolicorum, deinde *nonnihil maculata*, tempore Patrum, paulatim à puritate antiqua deflectentium: post *penitus deformata*, sub Papatu consummato; & nunc iterum *reformata*, post Antichristum revelatum. Id ipsum alii sic efferunt, quòd *prima* Ecclesie facies fuerit *virginalis*; *secunda lascivienti* puellæ non absimilis; *tertia* cadaverosa & meretricia; *Ultima* verò matronalis, quam faciem Dei gratiâ, & Lutheri operâ est adeptâ, qui maculas, verbi divini spongiâ abstergit, & remotâ meretricis obrusâ, castimoniam Ecclesie restituit. (4.) Ab ipsa experientia. Nullo unquam tempore Ecclesia tam fuit perfecta, ut omnes Scripturarum textus sine dubitatione intellexerit, & omnes controversas quæstiones sine errore deciderit, sed semper vel certè plerumq; , tum in interpretandis illis, tum in decidendis istis aberrârit. Suam si Papistæ ipsi diligenter examinent Ecclesiam, videbunt sanè, & si candidi sunt, fatebuntur, eam in Scripturæ expositionibus, & Scholasticis quæstionibus benè multis errâsse totam, & quum pro Catholica illam habeant, errante ipsâ, Catholicam errâsse Ecclesiam, invictè colligitur. (5.) A testimoniis quorundam Pontificiorum. *Alexander Alensis*, part. 3. q. ult. art. 2 & *Johannes de Turrecremata*, l. 1. de Ecclesia, c. 30. & l. 3. c. 61. asserunt; *Totam visibilem Ecclesiam tempore passionis Christi errâsse, ut vera fides in nullo homine præterquam in scola Maria permanserit*, quod *Bellarminus* quidem l. 3. c. ult. circa finem improbat, sed *Dominicus Bannes* in 2. Thomæ, q. 1. art. 10 p. 177. monet, multos huic opinioni calculum addere, inter quos est *Marsilius* 2. sent. q. 20. art. 3. & ipse *Costerus* in tertia nota Ecclesie, p. 100. *Johannes de Turrecremata* scribit, l. d. *esse contra fidem universalis Ecclesie, asserere, non in sola B. virgine mansisse fidem in die passionis Domini.*

LXV.

Objectiones.

Pontificii simpliciter & absolute, sine omni limitatione vel distinctione statuunt, Ecclesiam non posse errare, & id ipsum sequentibus argumentis probatum dare allaborant.

1. Urgent

I. Urgent dictum 1. Tim. 3. v. 13. *Ecclesia Dei est columna & firma*. Quia *di-*
mentum veritatis : quo ipso significari putant, *veritatem catur colu-*
fidei, quoad nos, nisi Ecclesiae auctoritate, & verum esse, quicquid inna &
Ecclesia probat, falsum, quicquid improbat. Bellar. l. 3. de Ec- firmamen-
 clesia, c. 14. col. 187. B. C. Huntlaus, T. 1. controv. 2. c. 7. tum veri-
 § 6. Greg. de Valen. l. 6. Anal. c. 14. p. 41. Hinc argumen- tatus.
 tum nascitur :

Quicquid est columna & firmamentum veritatis ; illud errare ne-
quit. Ecclesia est columna & firmamentum veritatis. E. erra-
re nequit.

Resp. 1. Si de Ecclesia universali, & erroribus fundamentali- *Ubi totum*
 libus sermo fit, totum concedimus argumentum, quippe quod *argumen-*
 thesin nostram septimam confirmat. Non autem hinc sequitur, *tum certo*
 quod Ecclesia particularis, qualis Romana est, deficere, vel quod *respectu*
 Ecclesia universalis in minus principalibus errare nequeat. Manet *concedi-*
 enim *veritatis columna*, quoad fidei fundamentum, si maximè in *mus,*
 quibusdam secundariis errer, non secus atque manet *domus sancti-*
tatis, licet quibusdam naëvis & peccatis venialibus maculata ap-
 pareat.

2. *Majorem* limitamus : Quicquid *absolute* est columna & fir- *Majorem*
 mamentum veritatis, id quidem errare nequit, quod autem co- *limitamus,*
 lumna veritatis est *conditionate*, nimirum, si sequatur ductum Spiri-
 tus Sancti, & Scripturæ, id errare non potest, impletâ; potest verò,
 non impletâ, sed absente illâ conditione. Applicamus hoc ad Ec-
 clesiam, & dicimus, eam, sive in universali, sive in particulari con-
 sideretur, esse veritatis columnam, *non absolute*, quasi oporteat ve-
 rum esse omne id, quicquid statuit, sive ex Scripturis hauriat, sive
 ipsa effingat; *sed conditionate*, quatenus sequitur vocem Spiritus in
 verbo loquentis, unde Chrysostomus super h. l. reciprocando ait:
 ἡ ἀλήθεια ἐστὶν στήλη καὶ ἐδραῖωμα τῆς ἐκκλησίας : *Veritas est co-*
lumna & firmamentum Ecclesie. Fieri autem potest, ut Ecclesia
 quandoque vocem & columnam illam non sequatur, sed suas spe-
 culationes; adeoque prolabatur in errores tum fundamentales
 particulariter; tum secundarios universaliter, ut exempla superius
 allegata evincunt. Sic Hierosolyma in Veteri Testamento erat fi-
 delis

delis civitas Dei, *Es* 1. v. 21. focus & caminus Altissimi, *c.* 31. v. 9. adeo-
que similiter columna veritatis. Et tamen potuit illa errare, gravi-
terque erravit sapius, quando lege Domini, & Prophetarum scri-
ptis contemptis, sibi indulfit, vel Pseudopphetas audiit. Unde se-
quitur, elogia isthæc cum conditione, non absolutè accipienda
esse.

Dictum A-
postoli re-
cte explica-
mus.

3. Circa *minorem* occurrit prava expositio dicti Apostolici,
cujus minimè hic est sensus, quòd veritas fidei nitatur Ecclesiæ
auctoritate, tanquam principio supremo & infallibili, quum fides
non nisi divinâ revelatione & auctoritate verbi nitatur. Nec enim
articuli fidei sunt ideò veri, quia eos Ecclesia profert; sed quia eos
Deus ipse in Scriptura revelavit; unde creditur Ecclesiæ non pro-
pter ipsam, sed propter Dei verbum, quò sua confirmat dogmata.
Dicitur autem $\sigma\upsilon\lambda\omicron\upsilon\varsigma$ vel *columna veritatis*, non tam $\delta\epsilon\chi\tau\epsilon\kappa\tau\omicron\nu\iota\kappa\omega\varsigma$,
ac si veritatem sustentet fulciatque, uti columnæ innititur do-
mus; (nisi hoc intelligatur $\delta\rho\gamma\omega\nu\iota\kappa\omega\varsigma$, de futura ministeriali,) quia
soli Christo convenit principaliter & primò fundare & sustenta-
re, *1. Cor.* 3. v. 11. quàm $\pi\omicron\lambda\iota\iota\kappa\omega\varsigma$, & ratione forensi. Ut enim in Cu-
riis & ante Prætoria columnæ extant, ad quas leges & decreta Ma-
gistratus publicâ auctoritate appenduntur, de quo usu columna-
rum tractant *Josephus*, lib. 1. Ant. c. 1. *Plinius* l. 6. Nat. Hist. c. 29. *Ale-*
xander ab Alexandro, lib. 3. gen. dier. c. 3. Sic Ecclesia vocatur $\sigma\upsilon\lambda\omicron\upsilon\varsigma$,
quatenus ad illam, ceu columnam publicam, appensæ & affixæ
sunt divini verbi tabulæ. Nam $\pi\alpha\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\ \tau\omicron\varsigma\ \theta\epsilon\omicron\upsilon$, vel eloquia Dei
sunt illi cõcredita, *Rom.* 3. v. 12. Et veluti *sanctificare* notat, *partim* sanctũ
facere; *partim* sanctitatis laudem tribuere: Sic veritatem stabilire,
est illam vel primò fundare, vel testimonium illi perhibere. Priori
modo Christus; posteriori modo Ecclesia veritatem stabilis, vel e-
jus columna est. Vox autem $\acute{\epsilon}\delta\epsilon\alpha\iota\omega\mu\alpha$ non primò denotat *fir-*
mamentum, uti vulgata vertit; vel *fundamentum* (hoc enim græcè di-
citur $\theta\epsilon\mu\acute{\epsilon}\lambda\iota\omicron\nu$) sed *sedem, sellam, repositorium*, ab $\acute{\epsilon}\delta\epsilon\alpha\iota\omega$ colloco,
confidere facio, unde est $\acute{\epsilon}\delta\epsilon\alpha$ sella, $\acute{\epsilon}\delta\epsilon\alpha\iota$ sessilis; adeoque di-
cto isto significatur, *Ecclesiam esse quasi sedile aut repositorium sa-*
crum, in quo deposita sit religiosa veritas. Quidam vocem $\acute{\epsilon}\delta\epsilon\alpha\iota\omega\mu\alpha$
more Hebræo, & per Hendyaden cum nomine columnæ conjun-
ctam

e lib

ctam

Etiam esse dicunt, ut sit sensus: *Ecclesia est columna firmissima veritatis.* Hinc autem non sequitur, quòd absolutè errare nequeat. Est columna ac sedes veritatis, non extra Scripturam pronunciando, sed veritatem in Scriptura propositam asservando, asservatam promulgando, promulgatam explicando, explicatam vindicando, & secundum illam de cunctis dogmatibus judicando. Quia ergo Scripturæ, & veritatis in ea comprehensæ, est custos, testis, promulgatrix, interpret & vindex: Hinc rectè columna & sedes veritatis nuncupatur, nimirum quamdiu talis permanet.

4. Notetur hoc insuper, quòd Paulus alloquatur Timotheo. *Instantium, Ephesinæ Ecclesiæ præfectum, ideoque de illa in specie hoc e- am ab Ec- logium profert & pronunciat. Fuit autem illa particularis Eccle-lesia- sia; erravit postea gravissimè, & desuit esse columna veritatis, facta Thessalo- sedes vanitatis; ex quo dictum istud non absolutè, sed conditiona- nicensi af- tè intelligendum esse, invictè colligitur. Aliàs sequeretur, nullam ferimus. Ecclesiam veram particularem errare posse, quia de quavis licet as- ferere, quòd sit columna veritatis.*

LXVI.

Bellarminus tantum ad illud, (*Ecclesiam esse veritatis colu- Et Bellar- minam, quatenus eam conservat, tanquam fidiissima custos*) quædam exci- mini ex- pit: (1.) *Hoc modo officinas librariorum esse columnas veritatis, quæ dili- ceptiones gentissimè custodiant omnes Scripturas.* Resp. Officinæ ipsæ, quæ sunt diluimus. res brutæ & inanimatæ, non custodiunt propriè libros, sed potius Bibliopolæ, officinarum Domini. Deinde per custodiam Scripturæ, non intelligimus localem inclusionem, sicut in officinis re- conduntur & includuntur libri; sed partim curam illam, ut illæsi & puri prodeant codices, ne adulterentur peregrinis hæresibus vel glossis; partim custodiam internam, quâ Dei verbum fidei corde suscipitur, & quotidianâ meditatione recolitur, non secus atque dicitur de Maria, quòd conservârit omnia de Christo dicta in corde suo, *Luc. 1. v. 19. 51.* & de veris auditoribus, quòd verbum in corde bono & sincero custodiant, *Luc. 8. v. 19.* quorum neutrum de officinis librariorum asseri potest. (2.) *Apostolum non meminisse Scripturarum, sed simpliciter dicere, Ecclesiam esse columnam ac firmamentum veritatis.* Resp. Per illud ipsum veritatis vocabulum Scriptura connotatur, quia

quia verbum Dei est veritas, Joh. 17. v. 17. & hoc nullibi continetur, nisi in Scriptura. (3.) Multò amplius est, ait, col. 187. C. esse columnam, quàm simplicem custodem. Nam columnæ innititur domus, & eâ remotâ cadit. Resp. Ecclesia vocatur columna veritatis, non architectonicè propter futuram, quod soli Christo convenit; sed politicè, propter affixionem publicam, promulgationem & vindicationem veritatis. (4.) Etiam Ecclesia fuit columna, quando non erat Scriptura, unde sequitur, non dicitur columnam propter custodiam Scripturarum. Resp. Negatur consequentia, quoniam Ecclesia, ut olim dicebatur columna propter custodiam & promulgationem veritatis, per vocem vivam revelatâ; Ita nunc dicitur columna, propter custodiam & promulgationem veritatis, scripto Dei verbo comprehensâ. (5.) Si de custodia ageretur, melius arcæ, quàm columnæ Paulus comparasset. Nec enim columnæ; sed arcæ libros custodiunt. Resp. Imò verò non tantum arcæ; sed etiam columnæ publicæ Scripturas & affixas tabulas custodiunt. Deinde, Quum Paulus Ecclesiam nominat ἐδεσίαυα vel sellam, eo ipso cuidam repositoio vel arcæ comparat Ecclesiam.

LXVII.

2. Quia Ecclesia gubernatur à Christo, & Spiritu S.

II. Ecclesia gubernatur à Christo, tanquam à capite & sponso suo, & à Spiritu S. tanquam ab anima, Eph. LV. 22. c. 4 v 4. c. 5. v. 23. E. Si Ecclesia in dogmatibus fidei vel morum erraret; Christo & Spiritui S. error tribueretur. Quocirca Joh. 16. v. 13. Christus dicit, Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Bel- lar. l. 3. c. 14. col. 187. D. Huntlaus, T. 1. contr. 2. cap. 7. §. 8. Hinc oritur argumentum: Quicquid gubernatur à Christo & Spiritu Sancto, illud errare nequit. Sed Ecclesia gubernatur à Christo & Spiritu S. Ergo errare nequit.

Ubi geminam instantiam.

Resp. I. Per instantiam: Quævis Ecclesia particularis, imò quicquid fidelium gubernatur à Christo, tanquam Sponso & capite, à Spiritu Sancto, tanquam ab anima: Num autem hinc sequitur, nullam Ecclesiam particularem; Imò nullum fidelium errare posse? Contrarium testata est, & etiamnum testatur experientia.

2. Ob aliam instantiam; Ut omnis error, sic omne peccatum Christi.



Christo & Spiritui S. est contrarium. Si ergo Ecclesia nequit errare, propter regimen Christi; sequitur etiam, non posse illam peccare, propter idem regimen, vel si peccare potest Ecclesia, non obstante Christi regimine, poterit etiam errare, non obstante eodem regimine.

3. Major proinde limitari debet: Quicquid enim gubernatur à Christo & Spiritu Sancto, illud quidem errare nequit, aut nequam absolutè, sed *conditionatè, quatenus & quamdiu gubernatur ab utroq;*, & ductum utriusq; sequitur. Fieri autem potest, ut Christum non sequatur, quia ejus gubernatio non est coactiva vel irresistibilis; sed *suasoria, & talis, ut homo ex libero arbitrio illi resistere, & in contrarium ferri possit, ut exempla testantur quàm plurima.*

Limitatio
majorem,

4. Hinc ultrò apparet, minimè sequi, *tribuendum esse errorem ipsi Christo, si erret Ecclesia, quam gubernat Christus.* Non enim errat, quatenus gubernatur à Christo, sed quatenus sequitur propriam *Παράδοξιν*, aut seductores hæreticos. Sic Apostoli dirigebantur à Christo; quum autem putarent, regnum ejus fore terrenum, hic error Christo ipsi non poterat tribui, quoniam eum non à Christo, sed ex præconcepta opinione habebant. Ita Petrus regebatur quidem à Christo, sed quum recto pede non incederet, *Gal. 2. v. 14.* error iste non erat Christi regentis, sed Petri aberrantis. *Breviter, Ut Ecclesiâ, quam aliàs regit Christus, peccante, non est tribuendum peccatum ipsi Christo, quum illa peccet, non quatenus regitur à Christo, sed quatenus carnem & diabolum sequitur: Sic Ecclesiâ, quam aliàs regit Christus, errante, non est tribuendus error ipsi Christo, quum illa erret, non quatenus regitur à Christo, sed quatenus cœcam rationem vel seductores sequitur.*

Negamus
consequen-
tiam.

4. Dicitur *Joh. 16. v. 13.* si absolutè intelligatur, absurdum hoc sequitur, neminem fidelium errare posse, quia omnes habent Spiritum S. *Nisi enim Spiritum Christi habeamus, non sumus ejus, Rom. 8. v. 9.* Notetur ergo, quòd in citato dicto contineatur *partim* specialis & extraordinaria; *partim* generalis & ordinaria promissio. Nam Christus suos alloquitur Apostolos, qui considerantur *tripliciter*; ut *Apostoli*, ut *Doctores*, ut *Christiani*. Quatenus erant *Apostoli*, promittitur iis immediata effusio & illuminatio Spiritus Sancti,

Et expli-
camus di-
ctum Joh.
16. v. 13.

ob quam illi erant infallibiles, & in scriptis suis errare non poterant, quod privilegium iis planè peculiare fuit. Simul tamen in verbis illis continetur communis promissio, attinens Apostolos, ut erant *Doctores & Christiani*, quo respectu ad alios etiam pastores, & fideles accommodari potest, quibus universis & singulis promittitur deductio in omnem veritatem, non autem immediata, sed *mediata*; non absoluta, sed *conditionata*, si nempe sint & manent attentis & obediens discipuli. Spiritus Sanctus in omnem veritatem ducit, sed *per verbum*; pastores & Christianos, sed *attentos & morigeros*, qui nullum ponunt obicem, nec discursum rationis suæ opponunt revelationi scriptæ. Nam *si in sermone meo manseritis, verè discipuli mei eritis & cognoscetis veritatem*, ait *Salvator*, Job. 8. v. 31.

LXIIIX.

3. Quia obligemur omnes ad audiendam Ecclesiam.

III. Obligamur sub anathematis pœna credere Ecclesie in omnibus, Matth. 18. v. 17. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et Concilia omnia dicunt anathema, non assentientibus Ecclesie decretis. Ast iniquum esset, sub tam gravi pœna obligari ad assentiendum rebus incertis & interdum falsis. Bellar. l. 3. c. 14. col. 188 B. Hinc nascitur syllogismus: Quod semper & in omnibus est audiendum, illud ab errore oportet esse immune, aliàs fallerentur auditores. Sed Ecclesia semper & in omnibus est audienda: Ergo Ecclesiam ab errore oportet esse immunem.

Ubi damus instantiam, Majorem limitamus.

Resp. 1. De quavis Ecclesia particulari dici potest, quod ea semper consulenda & audienda sit: nec tamen hinc sequitur, quod illa errare prorsus nequeat.

2. Major proinde iterum limitari, adeoque distingui debet inter auditum vel obsequium *absolutum & conditionatum*. Quod audiendi debet *absolutè*, quomodocunque sese habeat, illud sanè ab errore immune esse oportet, si decipi non debeant, qui audiunt. Quod autem audiendi debet *conditionatè*, quatenus verbum Dei proponit, & sua dogmata illo confirmat, hoc errare potest, si à conditione ista recedat. Jam verò Ecclesie credere debemus non *absolutè*, quodcunque dicat & doceat; sed *conditionatè*, si verbum celestis

lestis Patris & Christi capitis proferat. Potest enim fieri, ut illud non proferat, sed commenta hominum, uti testatur experientia, quo sanè in casu errat, & audiri non debet. Nec enim tenentur liberi obedire imperio matris, si contrarium sit voluntati Patris. Sic audiendi erant Pharisei, quatenus in cathedra Mosis sedebant, ejus doctrinam proferentes, *Matth. 23. v. 2.* audiendi non erant, sed cavendi, quatenus suum proferebant fermentum, *Matth. 16. v. 11, 12.*

3. Quod in specie concernit majorem, & ejus confirmatio-
nem, ex *Matth. 18. v. 17.* petitam, notari debet, (1.) ibi sermonem fieri de tali Ecclesia, quam aliquis adire & audire potest. Catholicam verò & invisibilem Ecclesiam, quippe per totum orbem dispersam, nemo potest adire & audire. Sermo igitur est de Ecclesia particulari, quæ de specialibus judicare debet casibus. Si ergo dictum istud non errandi privilegium continet, sequitur, nullam particularem Ecclesiam errare posse, quod absolum est, & saniores Pontificii ipsi non concedunt. Confirmo hanc rationem testimonio Bellarmini, qui lib. 3. de V. D. c. 5. *Non potest fieri, ait, ut peccantes deferantur ad congregationem omnium fidelium. Igitur nomine Ecclesie intelligi debet prelatus, ut Chrysostomus exponit, vel ut alii malunt, Prelatorum congregatio.* Quum igitur de particulari cœtu sermo fiat, & verò talis sine dubio errare possit, utique ex hoc dicto privilegium non errandi minimè potest colligi. (2.) Christus ibi non loquitur universaliter de rebus omnibus, nec de cunctis fidei dogmatibus; sed in specie de correptione fratrum peccantium, & de censuris sacris. Non tribuit Ecclesie authoritatem summam & infallibilem, ac si omne, quod illa dicit statuitque, ideò sit verum & audiendum, quia dicit statuitque, sed clavium commendat officium, & innuit, si frater manifestè prævaricans, corripitur ab Ecclesia, cum primis à ministerio, nec tamen illam audiat & respiciat, quòd talis excommunicari, adeoq; ceu Ethnicus & publicanus haberi debeat, unde statim additur v. 18. *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo.* A jure clavium verò ad absolutam judicii infallibilitatem, & errandi immunitatem non licet concludere. Nec enim sequitur; *Ecclesia manifestos prævaricatores ad poenitentiam exhortans, debet ab eis audiri:* Ergo Ecclesia in
rebus

Et dictum
Matth. 18.
v. 17. expli-
camus.

rebus fidei absolute errare nequit, si maxime extra Scripturam aliquid pronunciet. Nullam hinc esse consequentiam, cordatus quivis intelligit. (3) Ecclesiam in censuris sacris errare posse, fatentur Papicolarum, ut Lombardus lib. 4. dist. 18. lit. F. At verò de iis dictum allegatum loquitur. Ergo privilegium non errandi per illud probari non poterit, aliàs sequeretur, Ecclesiam in censuris sacris errare non posse, quod falsum.

LXIX.

4. Quia
Deus semper
ponat
verba sua
in ore Ec-
clesiæ, Es.
59. v. 21.

Ubi negamus
consequentiam.

IV. Es. 59. v. 21. Hoc fœdus meum cum eis: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, que posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore Seminis tui, à modò, & usq; in sempiternum: Quòd si ergo verba Dei non recedunt ab ore Ecclesiæ, absolute verum erit, illam errare non posse. Greg. de Val. l. 6. Anal. c. 4. p. 41. Huntræus controv. 2. cap. 7. num. 5.

Resp. Negamus consequentiam, quia de quavis Ecclesia particulari, & de singulis fidelibus dici potest, quòd Dominus cum iis fœdus ineat, & verba sua in ore illorum ponat, ne recedant; neque tamen hinc sequitur, Ecclesias particulares, & singulos fideles errare non posse. Quocirca promissio isthac tantum indicat perpetuam conservationem Ecclesiæ, quòd semper sint futuri quidam in terris fideles, fundamentum fidei tenentes illibatum; non verò privilegium quoddam simpliciter non errandi, vel absolutam ab erroribus immunitatem promittit. Posset etiam dici, quòd non tam sit promissio, quàm fœderalis ex parte nostri conditio. Non recedent verba mea ab ore tuo, id est, non recedere debent, sed sequaris eorum ductum in perpetuum, unde Lutherus vertit, *Meine Wort / die Ich in deinen Mund gelegt habe / sollen von deinem Munde nicht weichen.*

LXX.

5. Quia
Christus or-
taverit pro
Ecclesia,

V. Christus precatus est pro Ecclesia sua, Joh. 17. v. 17. Sanctifica eos, in veritate tua; Sermo tuus est veritas. Christus verò semper exauditur. Ergo Ecclesia in veritate sanctificatur, & per consequens errare non potest. Rhemenfes in annotat. super 1. Tim. 3. v. 15. Greg. de Val. l. 6. Anal. c. 4. p. 41.

Resp.

Resp. Christus allegato dicto principaliter orat pro Apo- *Ubi rursus*
 stolis, quos veritatis Evangelicæ propugnatores esse volebat in- *negatur*
 fallibiles, ideoq; illos in docendo & scribendo errare non po- *consequen-*
 tuisse, libenter concedimus. Simul verò & hoc addendum, *tia.*
 quòd Salvator uti v. 17. pro Apostolis & eorum constantia; Sic
 v. 20. pro aliis rogat fidelibus, quia expressè inquit: *Non pro eis*
tantum rogo, sed pro eis etiam, qui credituri sunt per verbum eorum in me.
 Si ergo ex Christi precatione, ad immunitatem ab omni errore
 licet argumentari; sequitur, quemvis fidelem, & quamvis Ecclē-
 siam particularem simpliciter errare non posse, quod absurdum.
 Christus igitur nec petiit, nec petendo impetravit absolutum
 privilegium non errandi pro singulis fidelibus, sed *partim* perpe-
 tuam conservationem Ecclesiæ universalis, & ejusdem in verita-
 te sanctificationem, quoad necessarios fidei articulos, non autem
 absolutam ab errore omni quoad quæstiones etiam secundarias
 immunitatem: *partim* auxilium & assistentiam Dei Patris pro
 cunctis fidelibus, qui si ejus sequantur ductum, minimè errant;
 quia verò eundem possunt non sequi, & quandoque non se-
 quuntur, inde fit, ut errare possint, & aliquando actu ipso er-
 rent.

LXXI.

VI. Ecclesiam esse sanctam, docet symbolum Apostolicum; *Ista 6. Quia Ec-*
autem sanctitas proprie in professione dogmatum consistit: Er-
go Christiana professio nihil continet nisi sanctum, id est, ve-
rum, quoad fidei doctrinam, & justum, quoad præcepta morum,
& in hoc revera excellit omnibus professionibus Philosopho-
rum, Ethnicorum, Judæorum, Hæreticorum: Omnes enim
habent dogmata aliqua falsa, admista veris. Bell. 1. 3. c. 14.
col. 188. C. Huntlæus Tom. 1. contr. 2. c. 7. §. 7. Syllo-
gismus inde formari potest hujusmodi: Quicumq; cætus
est sanctus, ille nihil nisi sanctum, hoc est, justum & verum pro-
fitetur. Ecclesia vel cætus fidelium est sanctus. Ergo Ec-
clesia vel cætus fidelium nil nisi sanctam, hoc est verum & ju-
stum profitetur, ac per consequens errare nequit.

Resp. (1.) Hypothesin illam, quòd sanctitas Ecclesiæ confi *Ubi expli-*
 stat camus, in



quo consi- stat propriè in professione dogmatum, non concedimus, quia vox
stat Ecclesia ea vitæ morumque integritatem, non fidei rationem propriè &
sanctitas, primò denotat; unde inter veritatem & sanctitatem plerumque
distinguere solemus. Notum etiam est, cur Ecclesia dicatur san-
cta, nimirum *materialiter*, ob membra sancta; & *formaliter*, ob
ipsam sanctitatem & justitiam, quæ *partim* imputata est, *partim*
inhærens & inchoata. Sancta insuper est *causa efficiens* Eccle-
siæ, Deus; *instrumentalis*, verbum; & *finalis*, ipsa vitæ puritas, ad
quam tendit. Sancta sunt *effecta* Ecclesiæ, vel opera ejusdem;
sancta obiecta, vel res, circa quas occupatur; *sancta adiuncta*, quæ
ipsam comitantur, ut dona & charismata divina, per quæ omnia
à pro fanis & impiis cœtibus distinguitur.

Damus ge-
minam in-
stantiam.

2. Quævis Ecclesia particularis, imò quivis fidelium est san-
ctus: Num autè hinc licet inferre, quòd nulla Ecclesia particularis,
nullus fidelium possit errare, aut aliquid falsi vel injusti profiteri?

3. Do instantiam à *peccatis Ecclesiæ*, quibus illa maculata
est, siquidem omnes fideles peccant sæpius, *Psal. 32. v. 6. Prov. 20. v. 9.*
1. Joh. 1. v. 8. Jac. 3. v. 2. Si ergo peccata quædam consistere possunt
cum sanctitate Ecclesiæ; tum poterunt cum eadem consistere er-
rores quidam secundarii.

Limitamus
majorem.

4. *Majorem ergo limitamus*, distinguendo inter sanctitatem
consummatam & inter sanctitatem *inchoatam*. Quicumq; cœtus con-
summatè & absolutè sanctus est, is quidem, uti nullatenus peccat,
ita quoq; nullatenus errat, nihilq; falsi profitetur. Ecclesia verò in
terris militans, non est consummatè & absolutè sancta, uti est Ec-
clesia in cœlis triumphans; sed habet sanctitatem tantùm inchoa-
tam, nec à reliquiis ignorantia & peccati totaliter liberatur; unde
fit, ut licèt in fundamèto tota non erret, in secundariis tamen quæ-
stionibus errare possit, sicuti, quamvis mortaliter nō peccet, venia-
liter tamen impingit multifariam. Luna est, quæ lucet quodam-
modo, suas tamen ignorantia & infirmitatum maculas semper
asperfas habet.

Et totum
argumen-
tum certo
respectu cō-
cedimus.

5. Possumus etiam ad *majorem* respondere, illam concedend.,
reduplicativè intelligatur. Nam quicumq; cœtus est Sanctus, ille ni-
hil nisi verum & justum profitetur, quatenus est Sanctus. Potest
verò

verò idem coetus errare, labi & aliquid falsi profiteri, quateuus sibi adhaerentem habet carnem, & originalem labem, unde fit, ut in multis labamur omnes. Quia enim renovatio nostra est tantum inchoata, hinc duo in quovis fidei sunt principia contraria, nimirum *reliquae vetustatis*, vel caro, & *primitiae novitatis*, vel Spiritus. Fideles sunt sancti, Ecclesia est sancta, quoad Spiritum, & primitias novitatis, atque haecenus nec errat, nec peccat. Ex carne autem, & reliquiis vetustatis fit, ut fideles cuncti, vel Ecclesia universalis sicuti venialiter peccare; ita in secundariis fidei articulis errare possit. Ut enim fluvius aliquid attrahit ex terra, quam praeterlabitur, sic illi, qui fidem in Christum profitentur, ex temporum suorum erroribus & corruptelis aliquid attrahere solent.

LX XII.

VII. Si Ecclesia tantum in necessariis non posset errare, maxima pars dogmatum fidei posset in dubium vocari. Nam multa sunt de fide, quae non sunt absolute necessaria ad salutem. Sane credere, historias Veteris Testamenti & Evangelia Marci & Lucae esse canonica scripta, imò ullas esse divinas Scripturas, non est omnino necessarium ad salutem. Nam sine hac fide multi salvati sunt, antequam Scripturae scriberentur, & postea tempore Novi Testamenti multae barbara nationes, de quibus scribit Jrenaeus l. 3. c. 4. At hoc est absurdissimum, posse dubitari de Scripturis. Non igitur verum est, solum in rebus necessariis ad salutem, Ecclesiam non posse errare, Bell. l. 3. c. 14. col 188. D.

7. Quia sequeretur, partem dogmatum fidei vocari posse in dubium.

Resp. I. Negamus consequentiam, plurima posse in dubium revocari, si Ecclesia tantum in necessariis queat non errare. Nam quantumvis falli possit in secundariis, non tamen sequitur, quod semper fallatur. Philosophi, Jurisconsulti, Medici non sunt infallibiles, sed errare possunt: Num autem propterea omnia in Philosophia, Jurisprudencia & Medicina revocari queunt in dubium? Certitudo dogmatum Ecclesiae non pendet quidem ab ejus absoluta infallibilitate, nititur tamen solidis argumentis, quibus sua confirmare illa solet dogmata. Sic articulus fidei minus principalis est, *Mariam mansisse virginem post partum*, hoc

Ubi negamus consequentiam.

siq

H 2

ipsum

ipsum tamen firmis rationibus probat Ecclesia, quae non permittunt, ut in dubium illud revocetur, tamen si Ecclesia absolute loquendo errare possit.

2. Pomanus, quod credere historias Testamenti Veteris aliquas, vel Evangelia Lucae & Marci esse canonica scripta, non sit omnino necessarium ad salutem; minime tamen sequitur, istam thesin esse incertam, vel in dubium vocandam, quia satis robusta sunt argumenta, quibus librorum istorum authoritas Canonica demonstratur, nec ulla dubitandi causa justa in medium afferri potest.

3. Credere, *ullas esse divinas Scripturas*, non erat quidem necessarium ad salutem, antequam scriberentur; necessarium tamen est, postquam scriptae sunt. Nec ullum reor esse Christianum, qui vel ignoret vel dubitet, esse aliquam Scripturam divinam, quum omnes singulis Dominicis aliquid audiant ex illa praelegi. *Aliud* insuper est simplex ignoratio, & *aliud* negatio. Si maxime quis per vivam vocem de fundamentalibus informatus, nesciret esse aliquas Scripturas, & haec ejus ignorantia ejus saluti non officeret; negari tamen illud, vel in dubium vocari sine salutis periculo non potest: & minime omnium sequitur, quod istud sit incertum, licet ejus notitia distincta ad salutem non sit absolute necessaria.

LXXIII.

S. Quia Patres infallibilitatem Ecclesiae asserant.

In quo tamen ipso principio petunt.

VIII *Urgent Patres, qui omnes ad Ecclesiam provocent in questionibus fidei quibuscumque, quod certe, ait Bell. l. 3. e. 14. col. 189. A. nullo modo facerent, si Ecclesiam falli posse existimarent, quem in finem citat Tertullianum ex libro de praescript. Augustinum lib. contra Cresco. cap. 33. & epist. 118.*

Resp. .i. Patres ad Ecclesiam provocant, tanquam ad iudicem controversiarum ministerialem & ordinariam, in quantum Scripturas explicat, & ex illis lites omnes, dijudicat, quo sensu eam errare non posse, lubenter damus. Quod autem absolute in nullo errare queat, hoc experientiae adversatur, nec ex illa provocatione sequitur. Ita in litigio civili vel Medico appellare, quis post ad JCtos & Medicos, ut secundum leges & artis principia

pia definiant; nec tamen sequitur, talem provocantem existima-
re, quod vel Jcti, vel Medici absolute nequeant errare.

2. Patres provocarunt ad Ecclesiam universalem, & in
rebus scitu ad salutem necessariis, in quibus Ecclesiam totam
ob divinas promissiones non errare, ultrò concedimus.

3. Patres aliquando etiam appellarunt ad Ecclesias par-
ticulares, ut Romanam, & similes, sed quæ illo tempore inte-
gritatem fidei adhuc retinebant salvam, quæ ipsæ quum postea
defecerint, testimonio earum amplius stare non possumus.

4. Adde, quod nec Patres omnes, nec in omnibus quæ-
stionibus ad Ecclesiam; sed sæpius ad Scripturam provocent. Fe-
cêre illud, quando de Canone Scripturarum agebatur, quas te-
stimonio Ecclesiæ de manu in manum illas tradentis, contra ne-
gantes confirmabant. Fecêre istud in aliis controversiis, &
quando disputarunt adversus eos, qui Scripturas Canonicas
agnoverunt, ubi verbum scriptum primò urgentes, secundariò
adiunxerunt testimonium Ecclesiæ, de quo vide August. l. 3.
contra Maxim. Ariarium, cap. 4. 1. 4. contra duas Epist. Pelag. c. 8.
l. 2. contra Donat. c. 3.

5. Tertullianus loquitur de Ecclesiis Apostolicis, & integri-
tatem suam retinentibus. Augustinus contra Cresconium dispu-
tat de non rebaptizandis iis, qui sunt ab hæreticis baptizati, quod
thema *πρωταως* ex Scriptura, *δευτερωσ* ex praxi Ecclesiæ demon-
strat. Epist. 118. sermonem facit de ceremoniis, de quibus jux-
ta communem Ecclesiæ consuetudinem judicandum esse, ultrò
largimur.

LXXIV.

IX. Huntlaeus Tom. I. contr. 2. c. 7. §. xi. Illi ait, qui con- 9. Quia no-
tendunt, veram Christi Ecclesiam errare in fide, re verâ ne- stra senten-
sciunt, quid dicant; Illa enim sola est vera Christi Ecclesia, tia opposi-
quæ Christi nomen & sinceram fidem retinet. Illa autem tum dicat
falsa est Christi Ecclesia, quæ nomen duntaxat Christi profi- in appposito.
tetur. Quare dicere, veram Christi Ecclesiam errare in fi-
de, est dicere, veram Ecclesiam non esse veram, sed falsam, quæ
planè sunt pugnancia.

H 3

Resp.



*Id quod ta-
men mini-
me probari
potest.*

Resp. Non tam est hoc objectio, quam sententiæ nostræ depravatio. Nam minimè statuimus, Ecclesiam veram, ut vera est & manet, errare; sed Ecclesiam, quæ ad tempus vera fuit, posse fieri non veram, sed falsam, quando in fundamento fidei errare incipit, non secus atque dicitur, *Sanctos peccare posse*, non quidem quatenus sunt sancti, quia hoc foret *ἀνὴρ Φαλκὸν*; Sed quatenus carnis desideria sequuntur, & non sancti esse incipiunt. Si ergo absque *ἀνὴρ Φαλκὸν* asseritur, *sanctos errare posse*; etiam absque *ἀνὴρ Φαλκὸν* dicitur, *Ecclesiam veram errare posse*, quum utriusque effati sensus sit idem & par ratio.

LXXV.

Conclusio.

Atq; ita ostensum est hæcenus, quòd *Ecclesie particulares, uti singuli doctores & fideles, errare possint*; ideoq; ambulemus circumspectè, ne fallamur ab aliis, vel errores novos excogitemus ipsi. Ostensum est, quòd *Ecclesia Romana in multis erret fidei articulis, & ab antiqua puritate sua prorsus defecerit*: Agamus igitur Deo nostro gratias, quòd ex illis nos liberavit tenebris, & lucem Evangelii clarissimam accendit in nostris regionibus. Ostensum est, quòd *Ecclesia tota ob factas promissiones, in fundamento fidei non erret, sed aliquis semper rectè credentium cœtus in terra supersit*, quo ipso nos sustentemus in variis periculis, & cumulatis persecutionibus, quippe certi, Deum usque ad extremum seculi diem suas sibi conservaturum reliquias, si vel omnia in peius ruant, & ipse fractus illabatur orbis. *Hinc Sanctæ Ecclesie Conservatori Opt. Max. Deo nostro benedicto & glorioso, sit omnis laus & virtus, & gratiarum actio, in omnes æternitates continuenda.*


Amen.

SOLI DEO GLORIA.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





Umg. VI 2 3

= [Dissertationes
theol. Vol. 59]


ULB Halle 3
002 386 852



sb. 26


Folio
VD 77





Dij...
M...





5-284
...ologicum,
...ESIA

ERRARE:
TIS SOLI-
& sub auspiciis
disputationem publi-
situm,

MEISNERO,
& Prof. publ.

nte
ICHENHÖFERO,
Theol. Stud.

Novemb. in Auditorio
ri.



ERGÆ,
us THAM, Acad. Typogr.
C XXIV.